



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Liber II. De Principiis Extrinsecis Corporis Naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



LIBER II.

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS CORPORIS NATURALIS.



Popondi superius, me Aristotelis methodum & modum secuturum, quare cum eo, post explanationem principiorum intrinsecorum, ad extrinseca progressum facio (faxit DEUS felicem!) quare in hoc libro, qui in tres partes apud Aristotelem partitur, primò tractabo de natura, non secundum se eam considerando, prout feci superius: sed in ordine ad suas actiones & operationes, unde etiam attingentur principia intrinseca, non ut constituenta totum, sed ut ordinata ad motum; secundò agam de causis tam in communi, quam particulari, & ultimò adjiciam aliquid de fortuna, casu, fato & monstro. Sitigitur

DISPUTATIO I. DE NATURA ET ARTE.

NE diversitas, multiplicitasq; acceptionis hujus vocabuli Natura confusionem pariat, aut ad præcognitionem, & elucidandam veritatem precludat viam, scito, quòd hic non sumatur pro substantia aliqua infinita, prout testatur D. Aug. 15. Trinit. cap. 1. plures sumpsisse gentiles pro Deo optimo maximo scilicet, quem proinde etiam appellarunt naturam naturam & accepit Seneca 4. offic. nec sumitur pro essentia & quidditate rei, prout dicitur definitio explicare naturam rei, id est essentiam rei, nec pro collectione omnium rerum naturalium, prout dicitur natura dependere à primo principio, nec pro causis naturalibus, qualiter asserit nihil naturam operari gratis, naturam abhorrere vacuum, &c. nec deniq; pro temperamento primarum qualitatum in animali, secundum quod aliqui dicuntur cholericam, alii sanguineam, alii melancholicam naturam habere &c. Sed agitur hic de natura, prout opponitur arti, quare etiam de arte aliquid addam in eadem disputatione, ut opposita juxta se posita magis elucescant. Est itaq;

QUÆSTIO I.

An Philosophus rectè definiat
Naturam?

I.
Aristoteles
definit naturam.

Suppono cum Aristotele super-
vacaneum esse præmittere examinationem, an natura detur? non ex eo, quòd demonstrare eam impossibile sit, sed quia à priori demonstrabilis non est, ex eo, quòd non habeat aliquod principium antecedens, per quòd, tanquam per medium, demonstrari possit, potest tamen à posteriori per motum scilicet, qui cum non sit à se ipso, debet esse ab alio principio, quod notissimum est dari, sicut est notum dari ejus effectum, estq; natura, quam libro 2. cap. 3. definit, quòd sit Principium & causa motus & quietis, ejus in quo est primò & per se, non secundum accidens: seu ut alii habent: Principium,

ut moveatur & quiescat id, in quo est &c. quæ in re nullo modo differunt, unde sistendo in prima lectione ad quæstionem resolutivè

Dico: Data definitio natura ab Aristotele bona est. Ita Doctor 2. Phys. q. 3. & communis

Probatur primò: Tum, quia constat genere & differentià, nam ly principium & causa rationem generis habent, reliqua verò rationem differentie: tum explicando omnes ejus particulas. Dicitur itaq; primò Principium & causa, quæ pro eodem hic sumuntur, & unum ad clarificandum alterum, quare non est positum solum principium, sed etiam causa, quia privatio, licet sit principium, non est tamen causa, & eontrà non est posita sola particula causas, quia efficiens est vera causa, non tamen principium, unde ad denotandum, quòd natura debeat

beat Physicè influere & causare motum, utrumque, est additum; Imò ulterior posset esse ratio, si dicitur, quòd natura sit principium motuum, non modò Physicorum, sed etiam Metaphysicorum, seu emanationum proprietatum à subiecto, quæ cum identificentur subiectis, non possunt subiecta esse causæ eorum propriè, bene tamen principia. Dicitur motus augmentativi, alterativi & localis; additur & quietis, id est, possessio & detentio acquisitæ formæ per augmentationem, alterationem & lationem: unde hæc particula non accipitur pro mera & pura cessatione: Item Td & inter particulas motus & quietis repertum, debet copulativè accipi, ut sensus sit, ut inquit Doctor, quòd natura sit principium, quo illud, in quo est, est natum moveri & quietescere, quare sufficit, ut unum vel alterum addit, quàmvis utriusque sit principium: dicitur *Ejus, in quo est*, per quam particulam secundò excluditur, omnis causa extrinseca & privatio à ratione naturæ, ut sunt Deus, respectu omnium effectuum, quos ad extra producit, Angelus respectu motus impressi cælis & astris: & omnes cause efficientes sublunares extrinsece, respectu effectuum suorum. Dicitur *primò & per se*, per quam particulam excluduntur, verbi gratià gravitas, ut aliquid moveatur deorsum, levitas, ut alterum moveatur sursum, quæ principia, licet insint moto, nihilominus non insunt per se primò, nec de primaria mobilis constitutione, sed rei jam constitutæ adveniunt, & quasi accidunt. Hinc duo acquiruntur ad hoc, ut aliquid habeat naturam propriè dictam. Primò est, ut verè & Physicè influat, & causet motum. Secundo, ut insit rei illi, tanquam pars essentialis constitutiva, in quâ causat motum. Sed

Arguitur: Motus & quies sibi opponuntur; ergò non possunt habere idem principium; ant. patet: probatur consequentia, nulla essentia una potest esse principium contrarium passionum, sed motus & quies sunt sibi contrariè opposita, ergò. R. I. negando ant. quia hic per quietem non intelligitur carentia motus, & ejus negatio: sed intelligitur connaturalis perfectionis debitæ possessio, quâ obtentâ cessat motus, unde motus etiam non est aliud, quàm medium ad acquirendam illam perfectionem connaturalem. R. 2. Motus & quies opponuntur sibi simul & semel, concedo ant. successive, nego ant. & consequentiam. Itaq; quàmvis natura sit principium motus & quietis copulativè, id est, tam bene motus ac quietis; non est tamen necessè, ut in actu secundo adsit motus & quies simul.

Instatur: Multa constant naturâ, quorum aliqua nec sunt capacia motus, & alia nec capacia quietis; ergò malè dicitur adhuc, quòd natura sit principium copulativè, tam quietis, quàm motus, licet actu non insit motus & quies: probatur ant. quia cælum empyreum, & terra nunquam moventur, cæli verò astrorum nunquam quiescunt, ergò. Sed R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd empyreum cælum & terra actu quidem non moventur localitèr, non implicet tamen, quin moveri posset, deinde tam cælum, quàm terra jam mota fuerunt ad suas formas substantiales, & ad alias perfectiones sibi connaturalitèr debitas. Cæli autem astrorum, licet non quiescant localitèr, quiescent tamen aliquando, statuto scilicet tempore completo, deinde etiam quiescit sub sua forma substantiali, & aliis accidentibus sibi debitis.

Arguitur 2. Si cælum esset corpus simplex, non haberet tunc aliquid, unde competere ipsi haberet naturam, ergò: probatur mi. quia nullas haberet partes, ex quibus componeretur & quæ inessent, ergò. R. I. Me parum curare, an tunc esset natura, vel haberet naturam, quia solum modò ago de eo, quòd modò est, non quòd esse possit. Attamen R. 2. Negando mi. quia tunc constaret essentia suâ, quæ includeretur in ipso, inclusione saltèr Metaphysicâ, quòd sufficit.

Instatur: Sequeretur, quòd Angelus constaret natura, quia constat essentia suâ, quæ etiam est principium motuum, quibus naturalitèr movetur ad multas qualitates, ad quas inclinationem habet. R. negando sequelam, ad cujus probationem dico, quòd Angelus non sit mobilis motu corporeo, atque adeo nequit habere rationem naturæ, prout de ea hic agitur: quia definitur principium motus ac quietis corporeæ.

Arguitur 3. Omnis definitio debet esse oratio naturam, seu essentiam explicans, sed natura nullam habet naturam & essentiam explicabilem; ergò natura non est definibilis: probatur mi. quia natura est ipsa essentia & natura; ergò nullam habet: probatur consequentia, si natura haberet aliquam naturam explicabilem, illa altera natura iterum deberet habere, & sic in infinitum, ergò. R. negando mi. cujus probationis ant. dist. Natura est ipsa essentia & natura si in abstracto consideretur, concedo ant. si consideretur in concreto, nego ant. & consequentiam. Quia quàmvis verum sit, quòd natura accepta ultimèr abstracta definiti non possit, cum definitiones sint concretorum, potest tamen in concreto accepta, in quantum hanc & illam naturam singularem respicit, ut patet de humanitate, quæ non definitur ex eo, quòd sit terminus abstractus, bene tamen homo, neq; definitur per terminos abstractos, sed per concretos, per animal scilicet & rationale, non verò per animalitatem & rationalitatem, sic est in proposito, neq; ex hoc sequitur processus in infinitum, quia natura ultimèr abstracta non concipitur, ut habens naturam, sed est ipsa ratio naturæ.

Instatur: Natura etiam in concreto nequit definiti, ergò nulla solutio: probatur ant. Natura debet esse essentialis omnibus, quibus competit, sed natura nequit esse essentialis omnibus, quibus dicitur competere, ergò: probatur mi. quia natura etiam in concreto est quid relativum, sed nullum relativum est essentialis absolutis, ut sæpè dictum est, ergò. R. negando ant. cum mi. prob. cujus probationem distinguo, natura etiam in concreto est quid relativum, si formalitèr accipiatur, concedo ma.

Ecce 2. si ac-

IV: Secundum

V: Tertium

si accipiatur fundamentaliter, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam.

Urgetur: Natura definitur per ordinem ad motum & quietem, sed quod sic definitur per ordinem ad aliud definitur formaliter acceptum; ergo etiam natura definitur accepta formaliter. R. dist. ma. per ordinem ad naturam per conceptum inadæquatum, concedo ma. per conceptum adæquatum, nego ma. Quare, licet sub præcisa ratione principii & principii dici possit formaliter definita, tamen quia Aristoteles definire intendebat naturam, non sub præcisa illa ratione, sed etiam in quantum natura esset ratio formalis constitutiva objecti Physicæ, quod debet esse quid absolutum, hinc dicendum, eum non definivisse formaliter, sed fundamentaliter acceptam naturam.

QUÆSTIO II.

An Natura sit principium activum, an verò passivum?

Quia definita fuit natura ab Aristotele per principium ad motum & quietem, ideo nunc controversatur inter Authores acriter, an ideo sit aliquid dicendum natura, quia potest in se connaturaliter recipere motum & quietem, secundum inclinationem, an verò per hoc, quod possit etiam in se producere talem motum & quietem. Principium autem activum est duplex, unum immanentè agens, aliud transeuntè, immanentè autem agere nihil est aliud, quàm in se ipso aliquid producere, transeuntè verò, producere aliquid in alieno subiecto & distincto à se, quod Aristoteles sæpè vocat movens non motum, dicitq; esse considerationis Metaphysicæ, quemadmodum primum appellavit movens motum, quod etiam Physicæ considerationis esse docuit, non quidem principaliter & primariò, sed in quantum passivo est conjunctum.

Principium activum est duplex.

Naturale multipliciter accipi potest.

Notandum ulterius: Naturale, in quantum principium dicit naturæ, multipliciter sumi posse & primò accipitur, prout opponitur supernaturali & libero, & in tali acceptione omne illud dicitur naturale, quod non fit à principio supernaturali, seu tali, quod excederet ordinem naturalem ad possum: secundò accipitur, prout opponitur violento & neutro, & in hac acceptione naturale respicit subiectum, in quo recipitur operatio & forma, ita quòd si fuerit juxta inclinationem subiecti, dicitur naturalis, si contra vel præter, dicitur violentum vel neutrum; Et in hac acceptione, quemadmodum violentia est duplex, alia privativa, quæ fit per simplicem subtractionem formæ vel operationis connaturalis & positiva, quæ fit per introductionem formæ repugnantis naturali inclinationi subiecti, exemplum primæ sit, quando aqua est sub sola carentia frigoris, secundæ verò exemplum est, quando aqua etiam est sub calore: Ita quoq; dari debet duplex naturalitas, una, quæ respiciat inclinationem passivam in subiecto, altera quæ dicat inclinationem activam agentis non cujuscumque, sed immanentis, quæ in rebus, penes inclinatio-

nem passivam, etiam dari debet, ratione cuius non dicantur solummodò determinata ad sic & sic patiendum, sed etiam ad sic & sic agendum.

His itaq; notatis, Circa præsentem materiam triplex est sententia: Prima dicit: Principium in definitione debere sumi tantum pro principio activo. Ita Vallesius, Vasquez: Altera, quæ adscribitur Scoto, & sequuntur Scotistæ communiter, vult per principium in definitione positum, debere intelligi principium passivum tantummodò in genere causæ materialis. Tertia deniq; sententia est communior, quam Recentiores cum Solemnioribus Scotistis etiam amplectuntur, quæ docet, quòd principium tam activum, quàm passivum in definitione data intelligatur, qui tamen postea inter se graviter differunt, nam aliqui de utroque æqualiter loquuntur, alii de activo principaliter, & passivo minus principaliter: alii denique de passivo magis principaliter, intelligendum minus principaliter de activo, alii aliter: Sed

DICO I. *Natura convenit tam principio activo, quàm passivo, loquendo secundum quod est consideratio Physicæ.* Hæc est conformis ad tertiam sententiam, est etiam Scoti 2. Physicorum q. 3. ubi habet, quòd per istum terminum Aristoteles intelligit principium activum, & q. 4. respondens ad objectionem, quòd videlicet superflue ponatur, in definitione naturæ, principium & causa, ait, quòd illi termini referuntur ad diversa, quia terminus principium accipitur pro principio activo, & iste terminus causæ pro principio passivo, & 7. Met. q. 13. ait: Naturalia communiter in se habent principium activum alicujus motus: & alibi sæpè, ut q. 1. prologi, ubi expressè docet: quòd non omnia, quæ in se habent principium passivum, habent etiam activum: quamvis frequentè & ordinariè correspondeat passivo principium activum; ergo ex mente & verbis Doctoris habetur, quòd quando inest principium activum, tam conveniat naturæ, ac passivum.

Probatur Conclusio ex Autoritate Aristotelis, tum supra, tum lib. 2. c. 10. ubi hæc habet: *Natura sic dicitur primò cojuncta, subiecta materis eorum, quæ motus in se mutationis, principium habent, alio verò modo ipsa forma & species, sed forma per Aristotelem simpliciter est activa, ergo.* Deniq; cum definitionem explicaret, exclusit motum, quo Medicus se moveret ad sanitatem, non per hoc, quòd haberet principium activum ad acquirendam sanitatem, sed per hoc, quòd in Medico Medicina in se non per se, sed per accidens, quòd tamen non debuisse fecisse, & quàmvis tam per unam, quàm per alteram rationem excludere potuisset, debuit tamen incipere à priori, quæ fuit, quòd esset activum; ergo ex mente Scoti & Aristotelis habetur, per principium, tam activum, quàm passivum posse & debere intelligi. Quare ulterius

Probatur Conclusio Ratione, primò: Quia frige factio, quæ se aqua reducit ad pristinum frigus, vel est naturalis, vel violenta, vel neutra; sed non est violenta, nec neutra; ergo est naturalis; probatur minor, tum quia illa

illa actio non est ab extrinseco, omne autem violentum debet provenire ab extrinseco, ergo: tum, quia ad violentum non confert natura suam vim; probatur eadem minor, quod non sit neutra, quia nulla vis neutra activa agenti competit à natura, alioquin deberent ei omnes competere, quia non est potior Ratio de una, ac altera: ergo. Confirmatur: tum quia naturale hic potissimum accipitur prout opponitur arti, sed quam maxime opponitur arti per principium activum, ergo: tum, quia alioquin non distingueretur natura ab arte; probatur sequela, quia artificialia habent etiam principium passivum motus, ut patet, si moveatur & projiciatur sella deorsum, aut quodcumque aliud fabricatum, nec juvat dicere, sellam, & omne aliud fabricatum moveri deorsum, non quod artificialium, sed quod naturale est, quia petitur principium; quia explicatur natura per motum & ad explicandum motum, recurrunt ad naturam.

Probatur Conclusio secundò

cum Maffrio: Non minus naturale est igni, calefacere debite approximato, & aquae calidae reducere se ad pristinum frigus, prout naturale opponitur violento, quam gravi ferri deorsum, sed ista conveniunt igni & aquae, in quantum activa sunt, ergo: probatur ma. quia non minus violentum est igni impediri à calore, & aquae detineri sub calore, quam gravi detineri sursum; ergo est ipsi conaturali; probatur ant. quia ideo gravi est violentum, quia est contra inclinationem suam ex principis intrinsicis provenientem, sed igni impediri à calefactione, est contra inclinationem à principis intrinsicis provenientem, ergo. Nec valet dicere, esse violentum igni tantum privativè, non verò positivè: quia naturalitas una tam bene opponitur violentiae privativae, quam positivae; ergo, licet non esset ipsi naturale, prout opponeretur violentiae positivae, esset tamen prout opponitur privativae, quod sufficit.

Dixi in conclusione, naturam convenire principio activo, tam bene, ac passivo, secundum Phisicam considerationem, quia absolute loquendo utriusque convenire potest, sive postea illud sit immanentè activum, sive transeuntè, & quia in conclusione nondum expressi, de quo principio activo mihi sermo sit, an de immanentè vel transeuntè? Ideò

Dico 2. Natura est principium immanentè activum. Hec est Authorum prioris sententiae, ut Maffrii, Baronis, Bassoli, Licheti, Barzii &c.

Probatur Conclusio: Si omne principium activum argueret naturam, sequeretur, nullum dari motum violentum vel neutrum, sed hoc est inconveniens, ergo: probatur sequela; Quia ille omnis motus est naturalis, qui est à natura, sed omnis motus esset à natura, id est, à principio activo; ergo omnis esset naturalis, & consequenter nullus violentus vel neuter, quia principium activum est semper naturale suae actionis. Confirmatur: Quia si sufficeret principium activum, sequeretur, Deum & Angelos futuros naturam, sed hoc est falsum,

ergo; probatur sequela, quia habent principium activum, & multa defacto movent transeuntè.

Opponitur Auctoritas Doctoris 2. d. VIII.

2. q. 10. n. 9. ubi expressè docet: *Motum non esse naturalem ex hoc, quod res mota habeat principium activum in se, sed solum, quod mobile habeat principium naturalis inclinationis passivum*, similia habet in quarto & alibi; ergo ex hoc sequitur, tantummodo principium passivum esse naturam. R. Doctorem tantum velle, quod non ita principaliter possit colligi natura ex principio activo, quam ex passivo, quamvis ex utroque bene colligatur. Quod si tamen quis urgere vellet, Scotum loqui simpliciter, cum exclusione principii activi, tunc respondeo, Doctorem excludere principium activum transeuntè, non verò immanentè activum.

Instatur: Omne principium activum est transeuntè activum, ergo: probatur ant. quia omne principium activum est externum, sed quod est externum alteri, transeuntè se habet ad illud, ergo. R. negando ant. quia aqua, dum se reducit ad pristinum frigus, reverà non agit transeuntè, sed immanentè; ad probationem ergo antecedentis distingo ma. Omne principium activum est externum, respectu effectus producti, transeat: respectu rei naturalis, nego ma. quia respectu hujus est ipsi intrinsecum.

Urgetur: Motus nullum dicit respectum ad agens, sive sit intrinsecum, sive extrinsecum, ergo: probatur ant. quia motus solummodo dicit respectum ad materiam, formam & privationem; ergo nullum dicit ad agens, alioquin quatuor deberet habere principia mutationis, ut ex dictis patet. R. dist. ant. Motus actualis non dicit respectum ad agens, transeat ant. mobilitas ipsa, nego ant. Itaque, licet agens ad formalitatem motus actualis non pertineat, attramen ad ipsum spectat concomitanter, quatenus est principium formae, actionis, passionis, subjecti & proprietatum rei naturalis.

QUAESTIO III.

Quibus rebus competat ratio Naturae?

Quamvis ex superiori quaestione sit facile elicere, quibus ratio naturae competat, utpotè cum ii, qui principium passivum tantummodo admittunt, consequenter loquantur, si dicant materiam solum esse naturam, ut Neoterici nonnulli perperam Scoto affingunt, illi verò, qui naturam tantum principium activum stantiebant, materiam excludere debent à ratione principii, cum haec secundum Aristotelem non sit activa. Asserentibus tamen, naturam involvere utrumque principium activum & passivum, non exiguae restant solvendae difficultates. An materiae & formae soli competat ratio naturae, an verò etiam toti composito. Item, an omnibus omnino formis etiam spiritualibus, ut anime; Deinde an etiam Angelis & ipsi Deo? quae, ut ordinate resolvam, Incipio ab imperfectioribus & ab iis, ad quae neganter me habeo. Unde

II.
Privationi
non competit
ratio natura.

Dico 1. Privationi non competit esse naturam. Hæc est communissima & Ratio est facilis; Quia natura debet esse principium & causa rei, in qua est, quia nec positivè influit in aliquem effectum, nec principiat rem in facto esse, sed natura debet positivè influere, & principiare rem in facto esse; ergò privatio non est natura. Confirmatur, quia nulli per se, nec primò inest, sed tantum per accidens: ergò. Sed

III.

Dices; Aristoteles 1. Phys. t. 17. ait: Privationem esse naturam, ergò. R. Aristotelem velle, quòd sit natura, considerando eam sub ratione formali principii, non verò pro ente aliquo absoluto positivo, & fundamentalitèr accepto, ut dixi suprà parte prima.

IV.
Nec acci-
denti.

Dico 2. Accidens non est natura, prout de ea Philosophus agit. Hæc etiam videtur esse extra controversiam. Et patet, nam postquam defini- visset naturam, subjungit t. 4. hæc omnia esse substantias, imò t. 5. ait: Accidentia & passiones, non esse naturas, aut habentia naturam, sed secundum naturam, id est naturæ convenientia. Deinde hinc definitur natura, ut potest esse objectum Physi- cæ, sed accidentia non ingrediuntur ad ratio- nem formalem objecti Physicæ, ergò. Dixi tamen notantèr in Conclusionè, prout de ea agit Philoso- phus. Quia si accidentia considerentur secun- dum se, propriamq; essentiam constitutivam, tunc verè poterit ipsis competere ratio naturæ: nam eorum quidditas est causa, & principium motus & quietis, primò & per se, respectu pro- priarum passionum & actionum illis corres- pondentium. Secundum eandem veritatem

V.
Denè tamen
Angeli.

Dico 3. Angeli sunt propriè natura secun- dum se, licet non Physicè considerationè. Hæc etiam non potest esse ambigua: & Probatur: Quia natura secundum Physicam considerationem debet esse principium & causa motus corporei, secundum quantitatem, qualitatem & ratio- nem, sed Angelus non potest habere hujusce- modi motus, ergò: ma. est certa, minor etiam, consequentia est optima, quæ Confirmatur, quia, ut notavit Doctor, Aristoteles posuit An- gelos planè immobiles & immutabiles. Quòd tamen secundum se sint natura, Probatur: Quia ab eorum quidditate profluunt verè pro- prietates & passiones, & nova acquirunt sibi accidentia connaturalia, ut volitionis & intel- lectionis, motus locales, qui quàmvis videantur esse neutri, attamen, si motus cælorum possunt dici naturales, & motus animalium, non vide- tur, quare etiam Angelorum non deberent dici tales. Sed

VI.
Non tamen
Deo.

Dico 4. Deus Optimus Maximus non est Na- tura. Ratio in Promptu: Quia solus immobilis est, & immutabilis, ergò.

VII.

Dices: Deus movetur ad intrà, in quan- tum Divinas Personas producit: Sed R. Deum moveri ad productionem Divinarum Persona- rum, absq; mutabilitate cum propria sui consti- tutione.

Instabis: Deus movetur ad intrà per productionem, per quam non constituitur in esse Personæ, ut patet de Patre & Filio, respectu

spirationis activæ. Sed quidquid sit, Dico tamen has productiones adhuc non esse motus, tum quia non sunt actus entis in potentia, prout in potentia, tum quia productiones illæ nihil constituunt in esse naturæ.

Dico 5. Quæcumq; materia & forma mate- rialis est natura. Ita D. 2. d. 17. D. Thomas, Com. Arist. 1. 2. Phys. t. 10. & 5. Met. 7. dividens naturam in materiam & formam.

Probatur Conclusio: Quia omni- bus competere debet ratio naturæ, quæ possunt constituere ens naturale, sed materia & forma constituunt ens naturale; ergò ipsis competit ratio naturæ. Confirmatur: Quia materia & forma sunt principia motus & quietis; ergò sunt naturæ; patet aut. quia materia est princi- pium receptivum motus naturalis, & forma ha- bet recipiendi virtutem in composito, & etiam virtutem agendi. Sed in contrà

Arguitur: Probando materiam non esse naturam. Ex Autoritate Aristotelis 5. Metaph. cap. 4. ubi ait: Solam formam esse na- turam propriè, cætera verò tantum metaphori- cè, & materia quia est hujus forme susceptiva, sed quod est naturæ susceptivum, non est natura; ergò materia non est natura; probatur minor: quia quod est in potentia ad aliquid simile, non est ipsum tale, nam, ut docet 2. Phys. cap. 1. Quod potestate caro est, aus os, suam prius naturam non habet, antequam formam, quæ ejus ratio est, ac- ceperit: ergò. R. Aristotelem tantum velle, for- mam solam dici naturam principalitèr, & ob majorem perfectionem ex eo, quòd sit activa, unde benè dicit, materiam non esse naturam tam principalem: quia est tantum susceptiva, unde cap. 1. t. 12. ait: Atqui hæc magis natu- ra est quàm materies: unumquodque enim magis dicitur cum est actu, quàm cum potentia. Quare ad probationem dico, quòd Aristoteles ibi tantum loquitur & velit ante formam non esse naturam adequatam, licet non neget esse inadæquatam.

Instatur: Illud solum est natura, per quod ens naturale distinguitur ab artificiali, sed ens naturale per solam formam distinguitur ab artificiali; ergò forma sola est natura. R. ne- gando mi. quia etiam entia naturalia in hoc di- stinguntur ab artificialibus, quòd materia en- tis naturalis sit vel materia prima, vel aliquid substantiale incompletum, materia verò artifi- cialium est solummodò materia secunda & ens completum, deinde materia naturalium etiam intrinsecè concurrunt, non sic materia artifi- cialium. Sed ob hoc

Urgetur: Materia artificiorum non ingreditur constitutionem entis artificialis, sed sola forma; ergò etiam materia non ingreditur intrinsecè ad constitutionem entis natura- lis, sed sola forma; ergò sola forma adhuc erit natura. R. negando consequentiam; Ratio disparitatis est, quia ars cum accidens sit, petit subiectari saltem ultimè in substantia, natura verò est substantia, adeoq; potest competere tam formæ, quàm etiam subiecto ejus. Item ens artificiale nihil addit super substantiam, nisi

nisi solam formam accidentalem, & sic in illa forma accidentali tota ratio artis consistit, ens autem naturale non constat solâ formâ, sed etiam materiâ, veluti ejus intrinseca comparte, ut dictum est supra.

Arguitur secundò: Probando omnem formam materialem non esse naturam. Anima brutorum & plantarum non sunt natura, sed illæ animæ sunt formæ materiales; ergò omnes formæ materiales non sunt natura: probatur ma. quibus competunt diversæ definitiones essentielles, competunt etiam diversæ essentialitæ, sed definitio naturæ & animæ sunt diversæ, quia anima dicitur actus corporis organici & naturalis; ergò ipsa non est natura, alioquin esset natura rei naturata. Sed R. negando ma. ad cujus probationem dist. mi. sunt diversæ secundum rationem specificam, concedo, secundum rationem genericam, nego mi. & consequentiam. Itaq; licet diverso modo definiatur anima & natura, ratio est, quia natura definitur in communi, secundum quod est principium motus & quietis in ordine ad operationes: anima verò definitur per ordinem ad constitutionem totius, unde non habent diversas definitiones, cum non sint data secundum idem, sed secundum alium & alium respectum, nec hoc mirum est, quia etiam ratio generica definitur alio modo à specie, per hoc tamen non inferitur, quòd secundum se differat genus in se & in specie.

Instatur: Anima non habet operationes easdem, quas habet natura; ergò anima non est natura: probatur ant. quia anima non habet motus, quas habet natura, ergò: probatur ant. quia motus naturæ est uniformis, & ad unum determinatè tendit, sed animæ motus non est talis imò potius difformis & ad plura indifferens, ut patet, cum nullum locum potius magis intendat præ alio. R. negando ant. cum sua prob. cujus prob. ant. dist. si motus in rigore naturalitatis consideretur, transeat, si accipitur in ampliori acceptione, nego ant. & consequentiam, sufficit itaq; ad hoc, ut dicatur habere motum naturalem, quòd fiat ab intrinseco principio ad bonum proprium, vel totius ordinatum, quemadmodum cæli dicuntur moveri naturaliter, licet non moveantur determinatè ad unum, sed circularitè, & motu quodammodo neutro, eò, quòd habeant intrinsecam habitudinem, quamvis motus non sit naturalis rigorosè, id est, ad unum determinatè.

Urgetur. Nullus motus potest esse naturalis naturalitate etiam in ampliori acceptione, qui est violentus, sed motus animæ est violentus, ergò: probatur mi. quia motus progressivus fit per elevationem pedum, qui ex gravitate naturalitèr tendunt deorsum, sed hoc est esse violentum cum pedes, & totum fatigatur, quod tamen non contingeret, si esset naturalis. R. dist. mi. Est violentus, secundum quid, transeat: absolutè, nego mi. & consequentiam. Itaque, licet motus videatur violentus progressivus respectu corporis, non est tamen respectu animæ, penes quam attenditur naturalitas, tanquam penes potentiam principaliorum, unde quòd totum defatigetur, oritur ex

eo, quòd pedes, & corpus impedimentum ponant, quamvis se simpliciter sit naturalis.

Dico 6. Materia & forma non sunt natura XI. *Quomodo materia & forma sunt natura.*
singulatim sumptæ, bene tamen copulativè sumptæ, si verò singulatim sumantur, natura dici possunt v. d. æquate. Hæc non solet ita proponi communiter à Scotistis, est tamen Baronis, qui putat Scotum nullo modo huic sententiæ contrariæ &

Probatur primò universalitèr: Natura, secundum dicta superius debet esse principium motus & quietis, tam activum, quam passivum, sed nec materia sola, nec forma sola possunt esse principium activum & passivum; ergò non possunt esse natura, si singulatim sumantur.

Probatur secundò: Specialitèr de materia: Motus, de quibus particularitèr agit Philosophus, quòd natura sit principium, sunt secundum quantum, quale & ubi, sed horum motuum materia sola non est principium nec activum, nec passivum, non activum quidem, quia ipsa non est Physicè activa: nec passivum, quia isti motus non substantur in materia, secundum Scotistas communiter, sed in toto; Et dicere, quòd materia sit causa mediata istorum motuum, non solvit argumentum: natura debet esse causa primò & immediatè, non verò secundariò. Confirmatur: Natura debet esse principium motus tantummodo naturalis, secundum Adversarios, prout naturale opponitur violento, sed materia non est principium ullius motus naturalis, ergò: probatur minor, quia materiæ nihil est naturale, ut naturale opponitur violento, ergò: probatur ant. quia si aliquid esset ipsi sic naturale, deberet etiam ipsi aliquid esse violentum, nihil autem ipsi est violentum, ergò.

Probatur tertio, de forma: tum quia à sola forma non emanant proprietates & passionis, nam forma ignis non est calida, forma aquæ non est frigida &c. tum quia forma non est principium passivum, ergò.

Dico 7. Totum compositum est perfectissimè natura. Ita Ruvius, Oviedo, Baro &c. XII. *Totum est natura.*

Probatur primò: Autoritate Aristotelis 1. Phys. cap. 1. ubi ait: *Natura quidem sunt animalia, partesq; ipsorum & planta, & simplicia corpora, ut terra, ignis & aer, & aqua, hæc enim, & hujusmodi res naturas dicimus esse & 5. Met. cap. 4. dicit: Quare quæcumq; natura sunt, aut sunt jam existente, ex quo apta sunt fieri aut esse, novum dicuntur naturam habere, si speciem & formam non habeant, natura igitur, quod ex ambobus huic est, ut animalia & partes eorum.*

Probatur secundò Ratione: Tum quia illud est natura, quod est objectum Physices: tum quia eodem modo se habet Principium Metaphysicum & Physicum ad suas operationes & emanationes, sed principium emanationum Metaphysicarum non est aliquid unum; ergò nec Physicum: major patet: probatur mi. quia emanatio propriarum passionum non est ab aliqua una parte, sed ab utraque, exempli gratiâ: risibile in homine, non est à genere solo, aliàs deberent animalia bruta esse risibi-

rifibilia; nec etiam à differentia sola, verbi gratia, rationali, alioquin Deus & Angeli deberent esse rifibiles, quia sunt rationales, cum tamen nec ipsa anima separata sit rifibilis proximè, de qua tamen

XIII.

Anima rationalis verè est natura.

DICO 8. *Anima rationalis verè est natura.* Hæc, præterquam quòd sit Aristotelis, est etiam expressè magi D. Augustini lib. de natura boni cap. 1. ubi hæc habet: *Omnis spiritus & omne corpus à Deo est, & hæc omnia facta natura, omnia quippe natura aut spiritus, aut corpus est.* Et consonat D. Bernardus suprà docens: *in morte hominis non fieri destructionem aliquam partium, sed naturarum coherentium diremptionem.*

Probatur etiam Ratione: Tum quia anima rationalis est forma corporis, sed omnis forma est natura; ergò etiam anima rationalis: tum quia anima, ut sensitiva & vegetativa, est etiam rationalis, sed ut vegetativa & sensitiva est natura; ergò etiam ut rationalis. Tertio: Anima est principium flētūs & risūs; ergò est natura, nec dicere potest aliquis, animam non esse immediatè principium, quia flētus certè æquè primò egreditur ab anima ac à corpore. Quarto: Anima est principium intellectiōnis & volitiōnis, sed hæ sunt veri motus, ergò. Deniq; Angeli in rei veritate sunt natura; ergò etiam animæ in eadem veritate & insuper secundum definitionem datam, quia operationes animæ etiam intellectivæ & volitivæ sunt magis Physicæ, quam angelorum, ut potè quæ pro præfenti statu dependent à phantasmatibus, rebus videlicet materialibus, qualiter non dependent angeli. Objectiones, quæ contra hanc & præteritam conclusionem adferri solent, non sunt magni momenti, & ex dictis facilè solvi possunt, contra priorem potissima est ex Aristotelis autoritate, qui in secundo Phyl. t. 12. ait: compositum quidem natura non est, sed est & constat naturà, ut homo. Sed facilè respondetur: Compositum non esse naturam, quemadmodum est materia & forma, sed esse ita naturam, ut etiam in se inclusas habeat naturas duas inadæquatas.

QUÆSTIO IV.

Quid sit ars, & quomodo à Natura differat?

I.

Quandoquidem Ars natura simia est, imò *amula*, quoniam solertissimà imitatione proximè ad naturam accedit, idèd sibi hinc locum vendicat, ut de ea agatur, maximè cum Aristoteles naturam sumpsit suprà, non modò, prout opponitur violentiæ, sed etiam prout opponitur arti. Potest autem Ars multipliciter accipi: Primò prout omnes facultates, & scientias comprehendit: Secundò pro cognitione practica, verum in his acceptionibus ad propositum nostrum non inferuit, prout autem de ea agendum est, dupliciter accipitur. Primò pro habitu intellectu cum recta ratione factivo: à D. Augustino vocatur hic habitus lib. de immort. anim. cap. 4. *Multarum Rationum cœtus, quem paulò infra dicit: non solum esse in animo Artificis, sed etiam nusquam esse nisi in animo artificis.*

Ars multipliciter sumitur.

Secundò accipitur Ars pro illa forma, quæ ab Artifice, secundum Regulas artis in materiam subiectam introducta est, ut forma vel figura hominis, vel leonis in lignis, lapide metallo &c. & de hac arte ait Arist. 1. 2. Met. 24. sanitatem & domum ad extrà fieri ex sanitate & domo in mente, & D. Augustinus tract. 1. in Joannem: *Attendite ergò Arcam in arte & arcam in opere:* & lib. 1. Gen. contra Manichæos cap. 8. *Quod videt Artifex in Arte, hoc foris probat in opere.* Et hæc ars omnibus obvia est, ut potissimum collaudatur & extollatur, cum tamen pteriosque lateat, quidnam sit artificialitas artefactorum, puta cultri, domūs, statuæ, ut patet ex sententiarum diversitate. Nam Nominales, post Occhamum, & cum ipsis Recentiores plurimi asserunt, formam artificialem nullo modo distingui à parte rei ab ente naturali, unde dicunt picturam nihil esse, præter colores & eorum ubicationem, statuam nihil esse, præter lignum vel lapidem, præter partium superfluarum & impediendum ablationem, quibus sublati statim sine ulla additione remanet forma hominis vel leonis, ita quòd aliqui insuper putent, tales formas actualiter præfuisse in materia, sed per partes illas superfluas fuisse copertam, ita Auctor sex Principiorum. Econtrà verò reales docent, formam artificialem esse accidens reale absolutam, de quarta specie, qualitatis industriæ Artificis introductum, ab ente naturali distinctum. Verum tamen supponendo artem esse aliquid, ut potè cum per artificem producatur, si enim nihil esset, sic produci nequiret, imò si nihil esset, non deberet esse difficultas in productione artefactorum, & frustra diceretur imitari naturam, quod enim nihil est, nihil imitatur. Hoc inquam supposito.

DICO 1. *Ars, seu forma artificialis non consistit in ubicationibus.* Hæc est contra primam sententiam & opinionem.

Probatur primò: Quia potest vera statua & imago fieri sine ulla profors mutatione ubicationis materiæ unde fit; ergò forma artificialis non consistit in ubicatione, quia si in antro & lapide aliquo montis sculperetur figura leonis, esset vera forma artificialis, & tamen nulla ibi esset variatio ubicationis, cum iisdem partibus spatii, forma corresponderet, quibus correspondebat antea, ergò.

Probatur secundò Ex multis inconvenientiis: Quia si forma artificialis consisteret in ubicationibus, sequeretur, quòd si aliquis portaret de loco in locum, & fortè de uno loco in oppositum, quòd variaret & mutaret statuam, sed hoc est inconvenientissimum dicere, ergò: probatur tamen sequela, quia si aliquis portaret statuam beatæ Virginis de Ecclesia ad formam & Nundinas, sequeretur, quòd non esset eadem, si aliquis de terra collocaret in summitate & pinaculo templi, quod non esset eadem, quia non essent eadem ubicatione, sed omninò opposita & specie diversa. Item sequeretur, quòd bruta Animalia & venti, ac alia possent pingere & sculperè, sed hoc est plane absurdum & incredibile dictu, cum alius non sit ad lyram, minus ad picturam, ergò: probatur tamen sequela: Quia alius, & qualibet alia

alia animantia, ac venti possunt unam statuam transferre de uno loco in locum alium, sed in tali casu variaret ubicationes; ergo variaret etiam figuras, & sic Effigies Helenæ ab Apelle depicta, jam esset pictura Afini, patet quoque, quod ventimoveant sedilia, projiciant imagines, deiciant statuas, nemo tamen diceret, quod easdem faciant. Et dicere, Physicè sic quidem esse, quamvis in morali estimatione censentur eadem, est planè subscribere & manum præbere ad tam incredibilia absurda, ita, ut ulteriori impugnatione opus non sit, cum vix ad majora absurda quis adigi posse videatur, quam dicere, quod bajulans Cæsaris statuam, sculpat, & Afinus portans Minervam, pingat &c. cum ad pingendum Ars requiratur, non verò ad bajulandum. Et absurdus adhuc est, quod docet Author sex Princip. quasi verò illæ figuræ, secundum se, omnes præfuisent; nam sequeretur, quod forma Angeli & diaboli, hominis & serpentis, piscis & aquilæ fuerint simul & semel in eadem materia, cum ex eadem omnes istæ figuræ & formæ sculpi possint.

III. **DICO 2.** *Ars, seu forma artificialis non est accidens absolutum aliquod de genere qualitatis.* Hæc est contra Parisienses & Reales communiter. Sed Probat: Tum quia, si ars esset aliqua qualitas, sequeretur, quod toties, quoties aliquis ceram manibus contraheret & complicaret, novam produceret qualitatem absolutam, quod videtur inconueniens: tum quia non est assignabile, quomodo illa nova qualitas producta in subiecto inhaereret, quia non posset dici, quod esset tota in toto, & tota in qualibet parte, utpote cum esset materialis, & nulla qualitas materialis sic in subiecto recipi potest: nec posset esse etiam pars in parte divisibiliter, quia alioquin deberet una pars, tam bene esse denominata figurata, ac alia, quemadmodum quælibet pars, in qua est albedo, dicitur alba, & sic si totum esset artificiatum triangulare, quælibet pars deberet etiam dici triangularis. Dicere autem partes esse heterogeneas, merum est effugium.

IV. **DICO 3.** *Ars, seu forma artificialis est relatio quadam ordinis & proportionis partium naturalium ad se invicem.* Ita Doctor 4. d. 12. q. 4. ubi ait: *Figuram ultra quantitatem non dicere nisi relationem partium ad se invicem vel terminorum includentium partes.* Probat, tum ex refutatione aliarum sententiarum: tum, quia experientia constat, quod ens artificiale fiat ex eo, quod hunc novum respectum acquirit, nam cathedra nihil aliud est, nisi combinatio plurium lignorum, quorum unum directè, alterum obliquum, tertium sic, quartum verò sic collocetur, sed in tali nova combinatione nihil aliud resultat, quam partium ad se invicem proportio & ordo; ergo in tali consistit ratio artificii. Confirmatur, quia possunt omnes partes haberi absque eo, quod habeatur artificium, ut patet de domo; ergo artificium consistit in tali partium ad se invicem ordine & proportionem. Contra hanc Conclusionem nihil potius objici potest, quam quod sequeretur motus principium posse esse artem. Verum nihil urget, quia, ut mox dicam, non est principium motus simpliciter, sed tan-

F. Amandi Hermann Physica.

tum secundum quid, id est velocioris. Et hæc puto sufficere pro prima parte tituli, pro secunda breviter expedienda Resolvo &

DICO 4. *Artem, in quantum est habitus, differre & convenire cum natura in multis.* Patet: in primis etenim differt, quod natura sit substantia, Ars habitus accidentalis & accidens: quod natura conveniat cum re naturaliter producta in esse reali, ars verò cum re artificiali tantum in esse objectivo: Item quod natura sit principium Physicum rerum naturalium; ars verò sit tantum principium per directionem non autem per efficientiam. Econtra verò conveniunt inter se, quia utraque supponit materiam in quam agit, utraque procedit ab imperfectioribus ad perfectiora, unde dicitur: *Nihil simul inventum est, & perfectum.* Item utraque non agit casualiter, sed certis quibusdam regulis juxta illud: *Opus naturæ, opus est intelligentiæ.* Denique utraque est imitatrix: Natura imitatur artem divinam, ut vocatur, puta ideam operis faciendi, ars verò imitatur naturam, ut eo magis estimetur artefacta, quod vicinius accedunt ad naturam, eam exprimendo.

ARS prout est forma artificialis, à natura multipliciter differt, naturalia etenim habent quæ talia internum principium motus, artificialia verò non, quia forma artificialis non est principium motus, nec obstat, quod figura quadrata faciat motum tardum, pyramidalis verò velocem, & quod multa artificialia seipsi moveantur, ut horologia &c. quia forma artis non est causa per se istius motus, sed natura, unde causa tantum est motus, secundum quid, tardioris videlicet & velocioris, in quantum scilicet ars naturam modificat, quare se potius habet per modum conditionis, imò frequenter nec positivè causat motum secundum quid, sed tantum negativè, ut patet de forma conii vel pyramidalis, quæ tantum naturæ præstat, ut aer minus resistat; horologiis verò & similibus pondus naturaliter contemperatur per rotulas & occultas machinationes. Secundò differunt, quia formæ artificiales sunt tantum in superficie, naturales verò intrinsece. Tertio materia prima naturaliter inclinatur ad formas naturales, ars verò non nisi neutraliter. Quarto materia naturalium est quid incompletum, artificiale verò est essentialiter completa. Quintò materia & forma naturalium faciunt unum per se, artificiale verò non.

QUÆSTIO V.

An & qua opera Natura possit Ars efficere?

Hæc Quæstio non modò utilis est, sed & simul curiosa & jucunda, ac insuper necessaria, nam frequentissimè sub pelle ovina ingrediuntur lupi rapaces, qui sese jactant per scientias naturaliter acquisitas industriæ & labore mira & maxima posse efficere portenta, cum tamen totum fiat per illusionem & artem magicam, non naturalem, quæ bona sanè est, sed diabolicam & omnibus summè execrabilem.

Fff Quare

V. *Ars in quantum habitus multis modis differt à natura.*

VI.

I.

Quantum ergo ad primam partem tituli quaeritur, an ars possit efficere naturae opera, & quanam sint illa? Pro quibus resolvendis

II.
Magia est
duplex.

Notandum primò: Artem, quae opera naturae videtur posse facere, vocari magiam, quae duplex est, naturalis & diabolica. Magia naturalis, quae etiam Philosophiae naturalis consummatio appellatur, scientia est, quae docet rerum naturalium adminiculo, & earum mutuam opportunam ac proportionatam applicationem, secundum qualitatem, quantitatem, in numero & mensura efficere opera captum vulgi excedentia, ut admirationem pariant, & miracula quodammodo censeantur, quae proinde etiam quam maxime viguit in Aegypto, Aethiopia, India, ubi maxime erant facultates herbarum, lapidum, animantium, astrorum influxum naturam explicantes, ita ut Plotinus dicat, magnum esse naturae ministrum, non Artificem. Magia diabolica est Ars similiter mirabilium factiva, ope & auxilio demonis per pactum implicitum, vel explicitum acquisita, estque multiplex, nam alia est malefica, alia praestigiosa, alia ariolatio, seu divinativa, ac observantia, seu superstitio, quae iterum in plurimas subdividuntur species, maxime ex materia, circa quam versantur, omitto huc adferre, cum eam sibi Theologi vendicent de peccatis agentes. Pro praesenti exigentia

III.
Applicatio
rerum sit
eundem sym-
pathiam &
antipathiam.

Notandum secundò: Rerum mutua & opportunam ad se invicem applicationem maxime oriri posse ex rerum antipathia & sympathia, quae nomina Graeca sunt, & sonant idem, quod compassio, magisque tamen proprie loquendo nihil aliud sunt, quam consensus, quo aliqua mutuo & occulto coedere sociantur & devincuntur, & dissensus, quo aliqua sibi ipsis infesta sunt, & caecis laborant discordiis, hinc est, quod Empedocles dixerit: omnia per Irem & concordiam fieri: huius autem consensus & dissensus rationem à priori dare, hic labor & opus est, optima mihi videtur, quam Scotus frequentèr adhibet, si ab ipso quaeratur, quare hoc vel illud tale sit, nempe quia hoc hoc est, & illud est illud, ut praclare dixerit Theophrastus: *Qui de omnibus rationem quaerit, simul cum ratione scientiam tollit*, & Alexander ait: *Multa esse, quorum nulla ratio reddi potest*. Et Divus Augustinus lib. 21. de Civit. cap. 7. enumerans varias sympathicas & magneticas operationes, ait: *Hae de ceteris quam plurimis, quae piget retexere, quibus licet vi insolita, & contra naturam inesse videatur, alia tamen de illis non redditur ratio, nisi ut dicatur, hanc eorum esse naturam. Brevis sane ista est ratio, sateor, sufficiensque responsio. Nihilominus quia videtur aliquantulum indecorum Philosopho naturali nullam adhibere rationem, ideo dico, sympathias & antipathias maxime oriri posse ex diverso & simili astrorum influxu, nam quemadmodum astra ipsa quaedam inter se magnam habent amicitiam, quaedam magnam discordiam secundum elevationem, convectionem & domorum oppositionem, ita etiam diversos operantur effectus in sublunariibus, & hoc quam maxime patet in Venere, quae est amica Marti, cum tamen caeteri Planetae*

eam, quam maxime averferentur, e contra vero Saturnum maxime odit, & sic de aliis, quare in hominibus & aliis animantibus similes causant operationes, ut contingat, quod duo sese invicem amare & diligere incipiant absque eo; quod se antecederent noverint, e contra vero alias odio habeant, etiam nunquam ab eis laesi, imò licet servitio placare & omnibus modis reconciliare se studeant, frustra laborent, cum tamen ex alia parte laceffentibus vix offendi valeant; varias & miras sympathicas operationes tradunt passim Auctores, ego maneo in Generalioribus &

DICO I. *Ars de se non potest facere opera naturae, bene tamen dirigere, nempe applicando activa passiva. Hae est communis &*

Probatur, quoad primam partem, quia ars sive consideretur, ut habitus, sive consideretur, ut forma artificialis, non est activa & productiva operum naturalium, quia utrumque est purum accidens, unum respectivum, & licet alterum absolutum sit, nihilominus de se non potest attingere effectum aliquem naturalem, qui est multo perfectior, quam ipsa sit. Quoad alteram partem est Divi Augustini 3. de Trinit. cap. 9, ubi ait: *Multi homines noverunt, ex quibus herbi, aut carnes, aut quarumcumque rerum quilibet succus, aut humoribus, vel ita positus, vel ita abrutus, vel ita contritus, vel ita commixtus, quae animalia nasci soleant. Quid ergo mirum, si quemadmodum potest nosse quilibet exquisitus homo, unde illi vel illi vermes nascantur, ita mali angeli pro subtilitate sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde ranae, serpentesque nascantur, & paulò infra subdit: Adhibere formis causas accidentes, quae tamen non sunt naturales (internae) tamen secundum naturam adhibentur, ut ea, quae secreto naturae sine abditis continentur, erumpant & foris creentur (id est producantur) quodammodo explicando mensuras & numeros, & pondera sua, quae in occulto acceperunt ab illo, qui omnia in mensura, & numero & pondere disposuit, non solum mali angeli, sed & mali homines possunt. Similia habet in Genesi lit. lib. 8. cap. 8. in Quaestionibus supra Exodum, & alibi.*

Probatur secundò: Multis experientis, quia, si herba basilica conteratur minutissime, & inter duos lateres conkrita in loco humido reponatur, convertitur in scorpionem, si setae caudae equinae suffodiuntur in subputridam & fimosam aquam, post breve temporis spatium convertuntur in vermes oblongos, utraque extremitate caput habentes, similiter si anas comburatur, & pulvis illius in loco humido inter patinas aservetur, maxima generatur rana. Adde quod sine Gallinae incubitu, ex ovo generari possit pullus, si in hominis sinu debite foveatur. Item ex capillis menstruatae feminae generantur vermes, & ex ipso menstruo ranae si in fimo abscondantur, est namque simus pro generatione similium aptissimus, nam ut ait Joannes Porta: *Est namque naturalis*

naturali calori simillimus, nec sperendam retinet putrefactioni vim mirabilium rerum parens; totq; genera animalium ex putrefactione proveniunt, quot ea, quae putrefiunt, ubi etiam docet, ovum excludi posse sine matris incubitu, si infimum includatur, & singulis senis diebus novum apponatur, & plurima alia, quae videri possunt apud ipsum: interim

V. **Dico 2.** Non implicat, posse fieri aurum verum per eandem applicationem activorum ad passiva. Hæc est Chymicorum, & plurium Philosophorum. Et

Probatur: Quia possunt homines applicando activa passivis producere viventia; ergo etiam possunt producere aurum, probatur consequentia, ex illo communi axioma; In rebus sibi subordinatis, & ejusdem rationis, qui potest facere illud, quod majus est, potest etiam, quod minus, sed majus est, facere viventia, cum omne vivens, quamvis minutissimum, sit multo perfectius, quam quodcumque non vivens maximum, sed &c. ergo. Confirmatur: Quia saltem angeli, sive boni, sive mali, optimè norunt, Auri temperamentum, & quæ influentiæ ad illius productionem requirantur; ergo possunt hoc etiam alius manifestare, & consequenter non implicat, quo minus per artem possit confici aurum. Attamen

VI. **Dico 3.** Quodammodo certum esse, nullum adhuc exiisse, qui verum & proprium aurum per artem confecerit. Hæc est contra Chymicos D. Thomæ 2. d. 7. q. 3. qui etiam ait, nec quidem fieri posse. Sed

Probatur: Quidquid hætenus per artem chymicam productum fuit, nunquam verè fuit aurum, ergo: probatur ant. quia non potest jacitari verum aurum, cui non competunt omnes proprietates auri, sed mafsis à chymicis productis non competit auri proprietatum collectio, ergo: probatur mi. nam imprimis non habet vim mendicandi, sicut habet aurum verum: deinde dicitur, quod non sit ductile in laminas: iterum colorem non habet inamissibilem. Denique est aurum, quod per ignem probari nequit, nam ut afferunt nonnulli: non potest vim ignis, & calidarum aquarum sustinere: ergo non convenit auro chymico, quod habet aurum verum. Confirmatur: Illud non est aurum verum, quod in humanis commerciis, sine fraude, exponi nequit, sed aurum chymicum est tale, ergo: probatur mi. quia Joannes 22. præterquam quod hanc artem damnaverit eò, quod facile subrepat implicitum pactum, & familiaritas demonum, & multi in perniciem Reipublicæ in summam paupertatem redacti fuerint, obligavit omnes obtudentes aurum chymicum pro auro verò ad restitutionem.

VII. **Dico 4.** Investigatio auri per virgam coriilibissimam, si superstitiosè careat ceremoniis in abscessione & retentione, damnanda non est. Hanc sic propositam puto tutissimam, &

Probatur: Quia etiam in lapidibus plurimè sunt similes magneticæ operationes, nam de a quo legitur, quod fures prodant, alii flumina & tempestates sistunt, alius sitim ex-

F. Amandi Hermann Physica.

tinguit, alii morbos pellunt, alii ad imminetia pericula immutantur & expallescent, alii alia operantur; ergo etiam non implicat, quin sit in corilo occulta vis, & virtus magnetica ad demonstrandum latens aurum, nam ut ait D. Aug. lib. 21. de Civit. cap. 7. sicut de calce quæ fervet in aqua, in oleo frigida est; de magnete lapide, quod nescio, quâ forbitione insensibili stipulam non moveat, & ferrum rapiat; de carne non putrescente pavonis, cum tamen putruerit Platonis: de palea sic frigescente, ut fluere nivem non sinat, sic calente, ut maturefcere compellat poma &c. aliud dici nequit, nisi hanc eorum esse naturam. Dixi, si superstitiosè careat ceremoniis in abscessione & retentione, quia si quis eam virgam abscindere deberet in aliquo sancto die, ex eo præcisè, quia dies sanctus est, nudo corpore, circulo factò, aversà facie, &c. omninò puto illicitam esse similem investigationem, si tamen requiratur, quòd abscindatur certo tempore, certa horâ etiam certis minutis, non est superstitiosum, nam patet, quòd etiam ligna certis diebus cædi debeant, ut iterum crescant & certis, ut radicitus extirpentur, quia humores certi non sunt, nisi certis temporibus, & certis aëtorum influxibus, quos observare nihil est bonis moribus contrarium. Quòd autem certo modo teneri debeat, præterquam, quòd dicatur, id solummodò fieri ad faciliorem detentionem virgæ illius, non verò quòd de ratione necessaria sit, potest etiam excusari, nam acus comparsi, non nisi certo modo atactæ in magnete rectè Septentrionem aspiciunt, si verò contrario modo terantur, nequaquam eundem præstant motum, & licet hoc non sufficeret, puto sufficere, quòd se possit quilibet accommodare sententiæ & opinionioni tot Authorum, etiam piorum sic sentientium. Hinc

VIII. **Dico 5.** In quibuscunq; operationibus producentibus effectum miros, adhibentur ceremoniæ insitiles sessionis, stationis, nuditatis, elevationis manuum, membrorum, respectiois ad certam mundi partem, verba, signa, & characteres peregrini nullam connexionem Physicam habentibus, non sunt magià naturalis, sed diabolica.

Signa quando non sunt naturaliter,

Probatur: Quia magia naturalis nihil aliud requirit, quam ut activa passivis debite & opportuno modo applicentur, sed illæ ceremoniæ nihil conferunt ad opportunam applicationem, quia sessio, statio, aversa & aversa facies, non videntur addere aliquam vim activam, nec ullam habent connexionem, sicut nec verba, & characteres peregrini, ergo. Idem dicitur de omnibus aliis, quæ Physicam & naturalem connexionem non videntur habere, ut si quis levitè stando omnes seras aperiret, lac suffigaret, ut vacca fecunda & lactifera efficiatur, si ad cognoscenda abdita quæcunq; alibi fieri, etiam in occultis & distantissimis locis speculum tantummodò inspiciat, vel inverso modo aspiciat. Dixi, si Physicam connexionem non habeant, per quod tamen non reprobo ea, quæ habent connexionem moralem, ut contingit in sacris ceremoniis Ecclesiasticis, quarum intuitu Deus concurret ad producendos miros effectus, sicut etiam piè adhibentur sacra nomina, sacre imagines, sacreque reliquiæ, nisi eadem in non

debitum usum ex pacto implicito vel explicito adhibeantur, ut etiam fieri solet cum ipsa Sacra Sancta Eucharistia. Itaque ulterius

IX.
Angelus malus non potest immutare bestias & homines.

Dico 6. Angelus malus non potest mutare bestias in homines & homines in bestias. Hæc est doctrina magni Divi Augustini lib. 18. Civit. cap. 16. ubi hæc habet: Non itaq; animum, sed nec corpus quidem illi ratione crediderim demonum arte, vel potestate in membra, vel lineamenta bestialia veraciter posse converti, sed phantasticum hominis, & cum corpus non sit, corporum tamen similes mira celeritate formas capit, sopitus, aut oppressu corporeis hominis sensibus, ad aliorum sensum nescio quo ineffabili modo figura corporea posse produci, ita ut corpora ipsa hominum alicubi jaceant, vivencia quidem, sed multo gravius atq; vehementius, quam somno suis sensibus obferatis. Phantasticum autem illud veluti corporatum in alicujus animalis effigie appareat sensibus alienis, talisq; homo etiam sibi videatur, sicut talis sibi videri possit in somni, & portare onera, quæ onera si vera sint, portantur a demonibus, ut illudatur hominibus partim vera onerum corpora, partim jumentorum, falsa cernentibus. En doctrinam pulcherrimam, quæ non solum negat Diabolum immutare posse corpora, sed solummodo illis illudere, & phantastica subtrahere impressis fortiter speciebus ac si homines verè sub tali specie fuerint, & talia onera ferant: ex quo etiam infero, sagas nostras non transportari sic, nec se immutare in varias formas & figuras, sed solum penes viros in lectis & stragulis dormientibus illudit, & tales species in somnis representat, ac si verè in tali vel tali loco fuerint, talia vel talia egerint, equitaverint, per aërem volaverint, in arboribus saltaverint, solemnibus conviviis interfuerint, vacuo stomacho & appetitu aucto.

Probatur secundo: Ex Concilio Ancyrano, quod sic habet de sagis & maleficis mulieribus: Quidam quædam sceleratæ mulieres Demonum illusionibus seductæ, nocturnis horis, cum innumera multitudine mulierum credunt se equitare super quasdam bestias, & multa terrarum spatia pertransire, quæ falsa opinio deceptæ, vera esse credunt, & credendo a recta via deviant. Ideo sacerdotes per Ecclesias commissas sibi populo prædicare debent, hæc omnino esse falsa, & a maligno spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari: Siquidem Satanas transfiguratur se in angelum lucis, & cum mentem cuiusq; muliercule ceperit, & hanc sibi per infidelitatem personarum species, atq; similitudines & mentem, quam captivam tenet, in somniis deludens, modo læta, modo tristia, modo cogitans, modo incognitas personas ostendens, & per devia quæq; deducit, & cum solus spiritus hoc patitur, infidelis mens hæc non in animo, sed in corpore opinatur evenire. Verba certè clara sunt, ut aliam non patiantur, nisi quam præ se ferunt, explicationem. Ideo

Probatur tertio, ratione: Tum quia Diabolus nequit unum corpus replicare in duobus locis, nec duas quantitates, ut se penetrant; ergo nequit facere, quod corpora hominum mutantur in corpora bestiarum & e contra: probatur consequentia, plus est convertere homines in bestias & bestias in homines, quam ponere unum corpus in duobus locis, & quod dicitur

quantitates sese penetrant; ergo si nequit facere primum, quod est assumptum, nec poterit secundum, quod est illatum: tota vis argumenti consistit in probando antecedente, quod sic præsto: In tali transmutatione Diabolus necessarius debet vel destruere speciem & formam priorem hominis, vel cum illa componere formam posteriorem bestie: Si dicatur secundum, sequitur, Diabolum posse duas formas ponere simul in eadem materia: si dicatur primum, veram faciet transubstantiationem, imò si prior forma hominis & corporis est destructa, ergo eam reproducendo veram faciet resurrectionem, & sic consequenter possit demon suscitare mortuos, quæ omnia Opera sunt, quæ Dominus operatur solus. Pro majori hujus doctrinæ elucidatione placuit mihi ex Divo Augustino subnectere aliquas historias in terminis, cum solutione ejusdem Sancti Doctoris quorundam sic factorum, spero legenti rem futuram non ingrati. Itaque cap. 16. cit. supra sic narrat: Nam quidam nomine Præstantius, Patri suo contrigisse indicabat, ut venenum illud per casum in domo sua sumeret (alibi narravit etiam in Italia fuisse foemina, quæ per casum, venenum viatoribus darent, quo accepto & potu in bestias versi fuerunt, & operâ perfunctâ iterum rediisse ad priorem statum) & jaceret in lecto suo, quasi dormiens, qui tamen nullo modo poterat excitari, post aliquot autem dies, cum veluti evigilasset, dicebat & quasi somnia narrasset, quæ passus esset, caballum se scilicet factum, anonam inter alia jumenta bajulasse militibus, quæ dicitur Retica, quoniam ad retia deportatur, quod ita, ut narravit, factum fuisse perceptum est, quæ tamen ei sua somnia videbantur. Iudicavit & alius se domi suæ per noctem, antequam requiesceret, vidisse ad se quendam venientem Philosophum sibi notissimum, sibiq; exposuisse nonnulla Platonicæ, quæ antea rogatus, exponere nolisset. Et cum ab eodem Philosopho quaesitum fuisset, cur in domo ejus fecerit, quod in domo sua petenti negaverat? Respondit, inquit, sed me fecisse somniavi. Ac per hoc alter per imaginem phantasticam exhibitum est vigilanti, quod alter vidit in somni. Hæc ad nos non quibuscumq; quilibet credere putarem indignum, sed eorum referentibus pervenerunt, quos nobis non existimarem fuisse mentitos. Proinde quod homines dicuntur, mandatumq; est literis, à diis vel potius à Demonibus, Arcades in lupis solere converti, & quod carminibus Circe socii mortavit Ulyssis, secundum istum modum mihi videtur fieri potuisse, quem dixisti tamen factum est. Diomedes autem volucres (dicuntur tales ex eo, quod Diomedis socii perhibeantur in eas converti, qui Græci blandiuntur in Apulia ad Garganium montem, alienigenas verò persequuntur) quandoquidem genus earum per successionem pro paginis durare perhibetur, non mutati hominibus factos, sed subtractis credo fecisse suppositos, sicut cerva pro Iphigenia, Agamemnonis filia. Neg, enim Demonibus iudicio Dei permisso hujusmodi præstigiæ difficiles esse potuerunt, sed quia illa Virgo viva postmodum reperita est, suppositam pro illa cervam esse, facile cognitum est. Socii verò Diomedis, quia nunquam subito commoverunt, & postmodum nullo loco apparuerunt, prædentibus eos angelis malis, in eas aves, quæ pro illis erant ex aliis locis, ubi est hoc genus avium, ad ea loca perductæ sunt, ac repente suppositæ, creduntur esse conversi. Quod autem Diomedis in templum aquam

vostris afferunt & aspergunt, & quod blandumur
Græcigenis, alienigenas persequuntur, mirandum non
est, fieri demonum infirmum &c. Et aliis in locis
similia plura habet, quæ diabolis facere posse
concedit Deus, ad fallendum fallaces, vel ad
admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro
magno desiderant. Sed pro Complemento hu-
jus quæstionis

Quæres: Quibus modis ergo operetur
demon tam mira & rara? R. Eum id facere
primò per summam velocitatem & celeritatem,
motumque localem, per quem de loco in locum
transfert res insperatas & insolitas, ut rofas in
hyeme, botros in æstate &c. se-

cundo, potissimum per illusionem phantasti-
cam, quam facit per ejus turbationem, & varia-
rum specierum productionem, item ex colorum
& luminis artificiosa commixtione, ut sagarum
sunt convivia, si tamen ad locum simul aliquem
comportentur, quod fieri posse quidem non
implicat, nam scitur, hunc mille artificem co-
lumnam Romæ Pragam detulisse, nunc & de-
factò puto, sicut supra dixi, magis fieri per illu-
siones, & hoc patet inde, cum viris accumbant
in lectis, & alibi choreas ducere nequeunt, nisi
replacentur, quod demonum virtuti negatum
est absolute; tertium denique artificium est ap-
plicatio activorum passivis.

DISPUTATIO II.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

Quàm pulchrum, jucundum, & utile sit de causis agere, ex eo patet, quòd nihil frequen-
tius, tam in Philosophia, quàm Theologia audiatur, quàm causarum cum effectibus
dependentia, causandi modus, prioritas, subordinatio &c. ut proinde ipse D. Augustinus in
Enchiridio cap. 15. tritum illam versum Virgilii Georgicorum 2. recommendet, dicens:
Quæ cum ita sint, quando nobis maronis ille versus placet. Fœlix qui potuit rerum
cognoscere causas, quare etiam materiam subsequenter de causis non modo in communi,
sed etiam in particulari sedulo & animose pertractandam senso. Sit igitur

QUÆSTIO I.

Quid sit causa, & quæ ejus causalitas?

L. Aristoteles
magis dicitur
causa,

Aristoteles magis supposuit definitio-
nem causæ, quàm aliquam tradiderit, utpotè
tempore illo, cum omnis abesse difficultandi
ratio, quæ nobis tamen fide innotuit, quæ credi-
mus generationem verbi in Divinis, in quam
Pater verè influxit gignendo ejus personalita-
tem, & tamen neque Patri æterno nomen cau-
sæ, neque Filio nomen effectûs tribuere voluit
Sancti Patres, Latini præcipuè existimantes
per effectum naturam limitatam, finitam, & ali-
quando incipientem significari, quare onus in-
cumbit Philosopho Christiano, ita definire
causam in communi, ut nec Patri æterno defini-
tio causæ conveniat, nec Filio definitio effectûs;
Circum quam materiam varii diversimodè opi-
nantur & frequenter plus nominatenus discre-
pant, quàm in re: Baro existimans, non posse
unam omnibus placentem afferri, assignavit
quatuor, at tamen non multum inter se diffe-
runt, igitur ad quæstionis p. p.

II. Dicitur
causa
creata.

DICO I. Causa creata in communi describi-
tur, quòd sit principium per se positivè influens in aliud
describitur. Hanc bonam esse explicando pro-
bo: Dicitur itaque Principium, quod rationem
generis habet, & convenit latius pluribus,
quàm causæ, nam ad principium sufficit, quòd
principiatum dicat intrinsecam habitudinem
aliquam, ut possit dici ab illo oriri, sic Pater in
Divinis dicitur principium Filii, non causa, sic
etiam privatio rei naturalis est principium, non
tamen causa &c. dicitur, Per se, per quam particu-
lulam excluduntur causæ per accidens, ut cum
Musicus est Architectus, per accidens enim est,

quòd sit Musicus, nec Musica concurret ad ædi-
ficandam domum, ut dicat Aristoteles Musicus
per accidens ædificat. Item excluduntur condi-
tiones, quæ vel necessariò requiruntur ad cau-
sandum, vel ad facilius, ut sunt approxima-
tio &c. quæ tantum concomitantè se habent,
ponitur positivè, ad excludendam generationem,
quæ neque in generationem positivè, nec in
rem genitam injunt: per tò influens autem intel-
ligo idem, quod dans & communicans esse, per
influxum vero, accipe tam Physicum quàm mo-
ralem & metaphoricum, ut comprehendas
etiam causam finalem: dicitur esse in aliud, ad
denotandum, quòd illud, quòd est causatum, in
natura & essentia debeat esse distinctum à cau-
sa, per quod excluditur generatio verbi in Divi-
nis, quia verbum æternum non accepit per eam
essentiam & naturam distinctam à Patre, quòd
etiam ordinariè importat tò aliud neutralitèr
sumptum, unde etiam Concilia Ephesinum, To-
leranum, & Lateranense cap. Damnamus de sum-
Trinit. admittunt in Deo Alium & Alium, non
tamen aliud & aliud. Et licet etiam dici possit in
Divinis esse adhuc Aliud & aliud, scilicet suppo-
situm, ut proinde videatur adhuc debere admit-
ti ratio causæ, nihilominus non est aliud simpli-
citer, ad rationem autem causæ requiritur, quòd
simpliciter effectus debeat esse aliud, Imò Ge-
nerationis verbi Divini terminus nec secun-
dum quid potest dici: Aliud, tum quia deberet
esse partialis, talis autem non est aliud, quòd
probo, quia terminus partialis sequitur ratio-
nem termini totalis, sed terminus totalis in Di-
vinis non est aliud; ergo nec terminus partia-
lis, patet ma. ex creatis, in quibus non genera-
tur natura in abstracto, verbi gratià humanitas,
sed hic homo: tum etiam, quia causa debet esse
naturà

naturâ prior suo effectu, sed in Divinis non est una natura sic prior, ergo. Verum, licet sic explicatum *Tò aliud*, sufficienter excludat verbum Divinum à ratione effectus, nihilominus ad eliminandam omnem difficultatem, addidi in definitione: *defectibiliter*, alii ponunt *contingenter*, per quam particulam simpliciter excluditur verbum Divinum, quia illud non est productum defectibiliter, sive etenim consideretur ex parte Patris Æterni, sive ex parte Filii, nulla est defectibilitas, quia generatio activa identificatur cum Patre, & passiva cum Filio, ac utraque cum Essentia Divina, quæ de se simpliciter indefectibilis est, adeoq; etiam ipsi identificata, quod Confirmatur ex ratione Doctoris, qui dicit: Omne causabile esse contingens, adeoq; quod causatur, non esse à se, omne autem, quod in Divinis est, habet esse à se necessariò, & non contingenter, ergo. Hinc patet, gratis ab aliquibus addi adhuc particulam illam *cum dependentia hujus ab illo*. Sed

III.

Dices: Si Deus per possibile, & impossibile necessariò, & ab æterno produceret aliquam creaturam, ad quam producendam necessitaretur, in tali casu Deus influeret indefectibiliter in talem creaturam, sed illa creatura verus esset effectus, & Deus vera esset causa; ergo indefectibilitas non facit, quo minus adhuc verbum debet dici effectus, & Pater causa: probatur minor: quia illa natura esset adhuc finita, limitata & imperfecta, ergo. Verum *z.* dist. ma. influeret indefectibiliter ad extrâ, concedo ma. ad intrâ, nego ma. & concessa mi. distinguo similiter consequens; ergo influere indefectibiliter non eximit Deum à ratione causæ, ad extrâ, transeat, ad intrâ, nego consequentiam. Itaq; Notandum, duplicem esse defectibilitatem, unam intrinsecam, seu ad intrâ & alteram extrinsecam, seu ad extrâ, defectibilitas intrinseca provenit ab ipsa rei entitate, quæ ex ipsa rei natura indifferens est ad existendum, vel non existendum, & hæc defectibilitas est de intrinseca ratione constitutiva effectus: defectibilitas extrinseca est, quæ provenit ex causa, quæ ex se indifferens vel libera est, ut producat vel non producat. Similiter indefectibilitas duplex est, intrinseca una, altera extrinseca: Indefectibilitas intrinseca est, quæ ex ipsa rei entitate provenit, quando aliquid ex se habet, ut deficere non possit, & hanc habet verbum æternum: Indefectibilitas extrinseca est, quæ non provenit ab ipsa entitate rei, sed ab aliquo extrinseco, & sic illa creatura, quæ necessariò produceretur, intrinsecè esset defectibilis, & extrinsecè indefectibilis. Sed contra particulam *aliud* adhuc

IV.

Dices 2. Particula illa in *aliud* in definitione causæ, omninò est superflua; ergo est mala: probatur ant. quia potest aliquid seipsum causare; ergo non est necesse, ut influat in aliud & consequenter particula illa superfluit. Sed *z.* negando ant. cum sua probatione, quæ omninò falsa est, ut infra demonstrabo, quod scilicet nihil omninò seipsum producere & causare possit, nisi quis vellet destruere tum Philosophorum, tum fidei principia, nam ideò Philosophi colligunt dari Deum, quia viderunt aliqua cau-

sari & existere dependenter ab alio, si autem posset aliquid existere à se, hoc nequaquam colligere possent, ergo. Deinde quæ ratione posset quid se ipsum causare, posset etiam dici Patrem, dum dicitur genuisse Filium, vel uterq; spirasse Spiritum, non aliam quampiam personam genitam & processisse, sed ipsum Patrem se genuisse, adeoq; tolleretur Trinitas personarum, nec esset, nisi plurimum nominum nuncupatio, quod destruit fidem.

Instabis: Defectio in creatis materia & forma sunt causæ, nec tamen producunt aliquid distinctum à se; ergo non implicat adhuc producere aliquid se ipsum; Imò finis etiam causæ dicitur, qui tamen non aliud, quam se ipsum producit, ergo. Sed *z.* materiam & formam si sumatur sine unione, tunc causare aliud, nempe totum compositum, si verò sumatur materia & forma unita, tunc non causant totum compositum, sed sunt ipsum. Vide dicta suprâ. Ad alterum de fine dico, finem quoque non causare seipsum, sed semper aliud, & licet actus bonus cognitus moveat voluntatem ad ponendum se ipsum, id tamen non facit immediatè, nam prius movet voluntatem ad amorem, vel ad mediâ, quo amore, vel mediis postea ponitur mediate ille actus bonus. Hæc pro prima parte sufficient. Pro secunda

Dico 2. *Causalitas causa in actu primo est ipsa entitas causæ, quatenus potens est causare effectum, quæ potentia includit relationem transcendentem identificatam:* ita Scotistæ communiter contra Huradum, Arriagam & Recentiores communiter.

Probatur primò: Autoritate tum Aristotelis 5. Met. 20. dicentis, relationes secundi modi fundari supra potentiam activam & passivam, sed relationes secundi modi sunt causæ & effectus, ergo fundantur supra potentiam activam: tum Doctoris 1. d. 7. q. un. l. ubi significat, quod virtus absoluta in causa, non est ei ratio agendi, nec eam constituit in actu primo potentem agere, nisi includendo respectum transcendentem ad effectum.

Probatur etiam ratione, primò: Quia causa in actu primo idem sonat, quod causa potens causare & agere, sed potentia & virtus causandi important directè relationem transcendentem, ergo.

Probatur secundò: Si causa constituentur inesse causæ in actu primo per aliquid aliud, esset maximè actio possibilis, sed hæc non est, ergo ma. est Adversariorum, probatur minor quia quælibet causa est causa in actu primo per aliquid sibi intrinsecum & identificatum, sed actio possibilis est quid extrinsecum & distinctum; ergo per actionem possibilem causa non potest constitui causa in actu primo: probatur mi. quia actio existens est quid realiter distinctum à causa, sed actio possibilis est ipsa quæ existit, ergo: probatur minor principalis. Secundò: Quia illa actio possibilis vel invenit causam potentem causare, aut facit eam potentem, si primum, ergo ex se jam erat potens causare, si facit eam, tunc est aliquid realiter,

realitèr distinctum, & consequentèr non potest esse causalitas in actu primo, quæ debet esse identificata causæ. Sed

Dices: Quemadmodum se habet causa in actu secundo, ita se habet causa in actu primo ad suam causalitatem, sed causa in actu secundo constituitur in esse talis per actionem existentem, ergò causa in actu primo per actionem possibilem. Verum R. negando ma. Disparitas est, quia causa in actu primo non est talis, ex eo, quòd accipere debeat primò aliquid, ratione cuius dicatur causa in actu primo, sed iam habet illud, quod ipsam denominat causam in tali actu, nempe virtutem sufficientem productivam.

Instabis: Causa in actu primo constituitur in esse talis per respectum ad effectum, sed non actualem, ergò ad possibilem: subsumo, sed effectus possibilis non potest respiciri, nisi actione possibili, ergò causa in actu primo constituitur per actionem possibilem. R. concedendo argumentum, ad subsumptum R. dist. illud, effectus possibilis non potest respiciri, nisi actione possibili, tanquam exercitio, concedo, tanquam virtute exercendi, nego subsumptum, & consequentiam. Itaque causa in actu primo non constituitur per exercitium, sed per virtutem productivam. Sed quæres, quomodo hæc virtus respiciat effectum, quem producere potest, an omnes in abstracto, an verò singularibus? R. causam non respicere effectum in communi, sed in singulari omnes, non tamen collectivè sumptos, sed divisim. Patet, quia causa potest producere suum effectum non tantum, quia effectus est, sed etiam quia talis est, verbi gratiâ, Ignis producit calorem, non tantum secundum rationem specificam, non tamen omnes collectivè, quia omnes effectus collectivè sumpti non sunt terminus adequatus causæ, sed tantum divisim sumpti, quare, licet implicaret unus effectus, non cessaret ratio causæ, dummodo essent producibiles adhuc alii, quemadmodum dixi de potentia materiæ, quæ respicit omnes formas non sub tota collectione, sed divisim.

Dico 3. Causalitas causæ in actu secundo formalitèr sumpta, superaddit aliquid entitatibus causæ & effectus. Hæc est Scoti in 2. d. 1. q. 2. & Scotistarum communiter contra Occamum.

Probatur primò: Quia actus secundus superaddit aliquid actui primo, sed causalitas causæ formalitèr sumpta accedit causæ, sicut actus secundus actui primo, ergò aliquid superaddet.

Secundò: Quia possunt à parte rei existere entitas agentis & entitas effectus etiam approximâtè, ut Ignis A & ignis B, & tamen ignis B non dependere, vel produci ab igne A, ergò ignem B produci ab igne A, est aliquid plus, quam hæc existere etiam approximâtè, & consequentèr causalitas aliquid superaddet. Quare non valet dicere, ignem B produci ab igne A, non esse aliud, quam eum existere, & non dependere ab alia causa, tum, quia ista non dependentiâ, cum sit aliqua negatio, debet esse alicuius positivi negatio, & consequentèr de-

pendentiâ, cuius illa est negatio, debet esse aliquid positivum: Tum, quia malè aliquis diceret, Petrum esse filium, formalitèr aliud non esse, quam non esse Paulum, Joannem, nec alium quempiam ex hominibus, ergò similiter malum erit dicere, ignem B produci ab igne A esse ignem B non dependere ab alia causa. Verum tamen in Contrâ

Arguitur: Omnis causa potens causare, virtualitèr, & immediatè continet suum effectum, ergò ut eum producat, non requiritur aliquid superadditum, R. distinguendo ant. Causa continet immediatè suum effectum, ita ut nulla forma intercedat intermedia, quæ constitueret ipsam in ratione principii productivi, concedo ant. ita ut non requirat actualem influxum, qui ipsam denominet formalitèr, & actu causantem, nego ant. & consequentiam.

Instatur: Illud superadditum vel deberet esse aliquid absolutum, vel relativum; neutrum dici potest, ergò nihil est. probatur mi. tum ex responsione, tum, quia causalitas non potest concipi, nisi per ordinem ad aliud: nec secundum, quia omnis relatio sequitur sua extrema, non sic autem causalitas, quæ debet præcedere, ergò. R. negando mi. ad probationem dico, esse aliquid relativum, quod tamen non præcedit causam & effectum, licet sic præcedat causalitas fundamentalis. Hinc

Dico 4. Causalitas, à qua causa dicitur formalitèr causare, non est quid absolutum, nec respectivum præcedens naturâ effectum, veluti aliquid medium inter causam & effectum, sed est relatio posterior causæ ad effectum, ubi talis pullulare nata est. Hæc est Doctoris supra ubi ait: Fallit nos imaginatio, dum putamus relationem causalitatis medianre, veluti viam inter causam & effectum, quia revera sequitur, sicut universalitèr nulla relatio ponitur, nisi positis extremis.

Probatur quoad primam partem: Illud absolutum medium deberet esse ens creatum, & de novo productum, sed omne absolutum, quod de novo producitur, debet mediante aliqua actione produci, ergò & illud absolutum, sed actio, per quam produceretur, iterum esset aliquid absolutum, ergò iterum per aliud absolutum produci deberet & sic in infinitum, cum non sit potior ratio de uno absoluto, quam altero, nam si esset aliqua, maximè, quòd actio essentialitèr dependeat ab hac determinata causâ, quia etiam ignis, quando producitur ab alio igne ita determinatè dependet ab eo, ut non possit produci ab alia causa, & tamen, ut producat ab igne, debet produci per actionem distinctam, ergò etiam illud absolutum, non obstantè hac determinatâ dependentiâ, deberet sic produci per aliam actionem.

Probatur secunda pars: Illud respectivum medianre deberet participare rationem relationis, ergò non potest esse aliquid medianre inter causam & effectum: probatur consequentiâ: Omnis relatio debet terminari ad aliquid, & habere correlationem, sed si medianret, nõ terminaretur ad aliquid, nec haberet

IX. Argumentum in contrarium.

X. Causalitas est quid relativum.

XI.

corre-

correlationem, ergo relatio non potest esse aliquid medians. Probatur minor: quia in illo signo priori esset relatio, & tamen non esset terminus, ad quem referretur, nec sibi haberet correlationem, quæ debet esse in termino, qui pro illo priori nondum esset, ergo non posset terminari ad ipsum, cum nondum sit, nec consequenter erit correlatio; per quod patet ad illud, quod aliqui dicunt relationes inesse quieto & permanenti tantum exigere, ut extrema sint, non verò in esse successivo, ut sunt actio, unio &c. quia est de essentia relationis ut sic, ut sit ad aliud, & ut simul naturam sint.

XII.

Dices: Relationem posse adhuc terminari ad effectum non productum, sed quem actu producit. Sed Contra, vel effectus etiam in fieri sequitur causationem ipsam, vel præcedit, si hoc posterius, ergo debet terminari ad effectum jam productum; si verò primum dicitur, tunc sequitur, quòd in aliquo priori sit causatio, in quo non est effectus, ad quem tunc non poterit terminari, cum nondum sit, & consequenter si præcedit, terminabitur ad aliquem terminum, qui nondum est.

Probatur ultima pars, tum, quia causa, ut formaliter causa, est concretum relativum respiciens pro termino effectum: Tum, quia Deus dicitur causa formaliter rerum omnium ad extra per terminationem essentialis dependentiæ rerum omnium ad ipsum, ex eo, quòd sit incapax relationis mutue, ergo in causis creatis relationum capacibus causalitas formalitè consistere debet in relatione subiecta in causa, & terminata ad effectum. Sed in contra

XIII.

Argumentum in contrarium.

Arguitur: Omnis via, per quam aliquid acquiritur, debet esse prior & mediare, antequam sit illud, ad quod est via, sed causalitas est via, quæ mediante acquiritur effectus, ergo causalitas non poterit esse quid posterius sequens effectum. Probatur minor ex Scoto q. ult. prologi. §. *Contra istud*, ubi dicit, voluntatem elicere praxim mediâ elictione, ergo. R. dist. mi. causalitas est via, quæ mediante acquiritur effectus, causalitas fundamentalitè sumpta, concedo mi. formalitè sumpta, nego mi. Itaque causalitas fundamentalitè sumpta dicitur prior suo effectui, sicut albedo dicitur prior esse relatione, nam secundum eundem Doctorem via est duplex, una quo, altera per quam, prior sequitur, posterior præcedit.

Instatur: Omnis ratio fundandi relationem debet esse prior suæ relatione, sed causalitas est ratio fundandi relationem inter causam & effectum, ergo debet esse prior, quam sit relatio cause ad effectum: probatur mi: quia secundum Aristotelem 5. Met. 20. relationes secundi modi fundantur super actionem, seu causalitatem, quæ actio, licet sit causæ efficientis, est tamen eadem ratio de ipsa, ac de alia causalitate. R. negando mi. licet enim dicitur referri causa ad effectum, quia in ipsum influit, non intelligitur tamen influxus formalis, sed fundamentalis; unde nego ejusdem minoris probationem, quia relationes secundi modi non fundantur super actionem & passionem,

sed super potentiam activam & passivam, dicuntur tamen fundari super actiones, quia actiones & passionis concurrunt veluti dispositiones & conditiones necessario requisitæ.

Urgetur: In omni instanti, quo causa causat, debet habere causalitatem formalem, sed pro primo instanti naturæ, ante effectum non potest haberi relatio, ergo causalitas non consistit in relatione: probatur major, quia alioquin sequeretur, quòd causa causaret sine novo superaddito. R. dist. ma. pro omni instanti temporis, concedo ma. pro omni instanti, seu signo naturæ, nego ma. ad ejus probico, etiam in ipso signo naturæ posse notari aliquid superadditum, seu aliquam variationem causæ, quia ubi in toto tempore consistit in potentia remota, ad hunc effectum, propter absentiam passivi, in eo signo dicitur esse in potentia proxima, & veluti proximè determinata ad hunc effectum, in quantum jam habet omnia requisita ad causandum, & sic etiam in illo signo naturæ potest habere aliquid superadditum, quàmvis non ipsam causalitatem formalem.

QUÆSTIO II.

Quotplex sit causarum Genus?

Extiterunt olim nonnulli Platonici, qui nullum aliud causarum genus, præter efficientis admiserunt, ejus opinionis etiam nunc putarunt quidam fuisse Divum Augustinum, verumtamen perperam, nam pluribus in locis clarè docet, dari causas, unde ex quo, & quare aliquid fiat, quæ nihil aliud denotant, quàm causam materialem, formalem, & finalem, unde etiam in hac quæstione queritur, an causa ut sic bene dividatur in quatuor vulgata causarum genera, materialem nempe, formalem, efficientem & finalem, ad quod utpote cum sit res facilis & trita, resolutivè

Dico: *Bene & adæquate dividitur causa, ut sic in mox præallegata quatuor genera. Est Doctrina hic q. 7. & communis.* Antequam in forma probem, suppono quòd omnia composita non habentur ex nihilo, aliàs creatura posset creare; ergo debent fieri ex præexistente materia, seu subiecto, quod non potest esse aliquid compositum, alioquin esset compositum, antequam fieret; ergo datur aliqua causa materialis. Deinde nullum compositum sublunare est Physicè simplex, & materia nullum habet actum Physicum formalem; ergo datur aliquid, quod æquat materiam, & intrinsecè constituit compositum, quod est causa formalis: Tertiò: Nihil seipsum efficit; ergo debet ab aliquo alio fieri & esse aliud, quod illud faciat, sed hoc dicitur causa efficiens. Denique omnia agentia, intellectuاليا quam maxime non agunt temerè, inordinate, sed ex causa; ergo debent finem aliquem habere, & consequenter datur causa finalis, quo supposito.

Sic probo Conclusionem:

Tot sunt genera causarum, quot sunt diversi influxus in quodlibet compositum generatum, sed isti influxus sunt quatuor; ergo etiam sunt quatuor.

quatuor causarum genera: probatur mi. ex supposito facto & præmisso, & etiam ulterius, quidquid influit, aut influit extrinsecè, aut intrinsecè, si hoc, vel per modum subjecti, vel per modum formæ, seu per modum actus & potentia, primum est causa materialis, alterum est causa formalis, quæ sunt duæ causæ: Iterum si extrinsecè, vel influit realitèr, vel metaphoricè alliciendo ad sui productionem, si hoc, est finalis, si primum, est causa efficiens; ergò bene dividitur causa, ut sic in quatuor allegata membra: probatur hæc consequentia, quia non est alia assignabilis, quæ non haberet rationem aliquam ex illis, ergò: probatur ant. si esset aliqua, maximè instrumentum, Idea, exemplar & objectum, sed hæc ad priores reducuntur, ergò: probatur mi. tum ex dicendis, tum quia omnia reduci possunt ad causam efficientem, ergò. Confirmatur Conclusio: Quia illa est bona divisio, quæ fit in membra diversa, & inter se realitèr distincta, sed hæc est talis, ergò: probatur mi. tum quia in entitate inter se differunt, tum quia habent diversum causandi modum; nam materia concurret recipiendo, forma informando, finis movendo & excitando efficientem, efficiens denique dando esse, nec recipiendo, nec informando, nec movendo, ergò.

III. Et quamvis prædicta divisio bona sit & communi antiquorum placito adhærendo bene defendatur, non est tamen secundum exactas regulas divisionum, nam imprimis debet fieri in pauciora membra, ita ut si fieri potest, sit bimensuris & in magis immediata, quòd tamen hic non observatur, unde ex ultimo ordinate procedendo causam ut sic, Primò dividi posse in primam & secundam; Prima est Deus super omnia benedictus ob omnimodam independentiam in sua entitate ab ulla alia causa. Secunda verò est omnis causa creata propter maximam dependentiam à causa prima, tam bene, quoad entitatem, quam etiam quoad operationes, quæ nihil agere & causare potest, nisi Deo concitante. Causa secunda iterum subdividi potest in universalem & singularem: Universalis est, quæ ad plures effectus concurrere potest & sunt Astra, Cæli, Sol, &c. dixi ad plures, quia Causa universalis, quæ ad omnes effectus concurret, non est secunda, sed prima: singularis est, quæ tantum producit determinatos effectus, ut ignis ignem, calorem, &c. Causa singularis tertio subdividitur; in intrinsecam & extrinsecam, illa essentialitèr & intrinsecè rem constituit, tanquam pars ejus, & sic corpus & anima constituent hominem: extrinsecæ, quæ non ingreditur ad constitutionem intrinsecam alicujus rei, ut ignis, dum producit alium ignem, & universalitèr omnis causa efficiens & finalis.

IV. Causa efficiens iterum multiplicatèr dividitur: Nam alia est immediata, alia mediata. Prima dicitur illa, à quâ effectus immediate producit, ut calor à calore. Secunda verò, à quâ effectus tantum mediata producit, uti Adam dicitur causa omnium hominum, &c.

V. Secundò dividitur in Causam per se, & causam per accidens; Per se est, quæ ex natura sua habet virtutem producendi effectum, sic Musicus cantat, Architectus ædificat; Per accidens ea F. Amandi Hermann physica.

est, quæ licet denominetur producere effectum, ex se tamen non est ordinata ad productionem ejus, sic Musicus ædificat, & Architectus cantat &c.

Tertio in Physicam & moralem: Physica VI. est, quæ verè per actionem influit in effectum, ita ut secundum influxum Physicum ab ipsa dependet; Moralis est, quæ quidem Physicè non influit, sed est in causa, ut alia causa Physicè eum attingat, unde judicio humano ei effectus attribuitur, sic dicitur causa moralis homicidii, qui consentit, suadet, jubet &c. alia sunt postea tales ex libera institutione hominum vel Dei, sic chyrographum causat solutionem, sacramenta gratiam.

Quartò in causam principalem & instrumentalem; VII. Prima propria sua virtute ab ipsa egrediente effectum producit. Instrumentalis est, quæ non propria virtute effectum producit, sed per virtutem communicatam ab alio, ut se habeat purè veluti instrumentum, sic sancti faciunt miracula virtute Divina.

Quintò in causam totalem & partialem: VIII. Totalis est, quæ se sola, ad minus in suo genere, effectum producit, ut ignis applicatus ad stupam, est totalis causa combustionis ejus, quia talis est in genere causæ efficientis, licet etiam alia concurrant cum prima. Partialis est, quæ producit tantum unam partem effectus, si est divisibilis, si verò sit indivisibilis, producit totum effectum, sed non sola, sed cum concursu alterius causæ ejusdem speciei & rationis cum ipsa, ut si duo ignes simul & semel applicentur ad comburendam stupam, unde dicitur hic effectus totalitèr adhuc à qualibet dependere totalitate effectus, non verò totalitate causæ, quia non dependet ab una sola causa, sed à duabus.

Sextò potest causa efficiens dividi in liberam & necessariam: libera est, quæ positis omnibus requisitis, potest se, sine ullo impulsu spontè determinare ad agendum, vel non agendum: Necessaria est, quæ positis omnibus requisitis non potest non agere; Utraque est immanens, vel transeuntèr agens, prima talis dicitur, quòd effectum in se productum recipiat, altera verò non.

Ultimò dividitur in causam univocam & æquivocam; univoca est, quæ producit effectum secundum eandem rationem similem in entitate, ut calor calorem, æquivoca, quæ dissimilem producit.

QUÆSTIO III.

De Conditionibus ad causandum requisitis.

Plures requiri conditiones ad hoc, ut causa causent suum effectum, indubitatum est, certum namq; est, requiri frequentissimè ablationem impedimentorum, & qualitates disponentes ad formas oppositas, requiritur etiam, ut sit legitima approximatio, & denique quòd existat causa, dum causat & alia plura. De approximatione inter causam materialem & formalem

Ggg malem

malem nemo controvertit, unde particularis est de efficiente difficultas, an ipsa debeat esse ita approximata, ut non possit agere indistans, quod in suo etiam examinabo loco. Potissimum quod hic explicandum venit, est: An causa, ut causet, debeat esse ita existens, ut pro nullo instanti possit causare, pro quo non est, in qua re Thomistae plurimi putant, non requiri actualem existentiam, sed sufficere quod in priori instanti extiterit. Secundo controvertitur, an causa ita debeat esse prius, antequam causet, ut tempore effectum præcedat, an verò sufficiat, ut tantum præcedat natura? Pro quo resolvendo supponendum ex sæpe dictis: Causam dupliciter considerari posse, nempe formaliter & materialiter, formaliter considerata sunt relationes, seu potius relativa, materialiter verò considerata sunt ipsæ entitates. Itaque his præmissis

II. Dico I. *Nulla causa potest aliquid causare nisi sit existens.* Hæc est communior contra Thomistas: &

Probatur primo: Si non requiretur existentia causæ ad hoc, quod causet, sequeretur non posse ex his, quæ facta sunt, probari existentia, sed hoc est contra fidem, quia Divus Paulus ad Romanos I. ait: *Invisibilia enim ipsius (Dei) a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt intellectui conspiciuntur, ut sint inexcusabiles, ergo: probatur sequela: quia, licet Deus non esset, posset omnia producere; ergo ex eo, quod produxerit, non potest demonstrari ejus existentia.*

Probatur secundo: Nemo dat alicui esse, quod non habet, sed causa non existens nullum habet esse; ergo non potest dare alteri esse, quod est causare, nec juvat dicere, causam paulò antè habuisse esse, atque ad eò ratione illius potest adhuc dare alteri, quia si nunquam extitisset, non posset dare esse; ergo nec ex eo, quod extiterit paulò antè, quod enim extiterit, nihil plus Physicè habet, quam si nunquam fuisset, tum, quia in decimo vel duodecimo instanti suæ non existentia, non potest amplius causare; ergo nec in primo instanti suæ non existentia, cum æquè parum habeat in primo instanti non existentia, ac habet in decimo. Confirmatur: Causa non potest denominari causans, nisi per causalitatem sibi superadditam, sed quod non est, non potest habere causalitatem superadditam, ergo ma. patet: probatur minor, quia causalitas est vera relatio, nulla autem relatio potest esse in non existente, ut potè cum essentialiter subiectum requirat.

Probatur tertio: Si causa non existens pro primo instanti postquam fuit, posset causare, sequeretur, quod etiam posset causare pro ultimo instanti, quando non est, & immediate post erit, sed in isto ultimo instanti suæ non existentia nequit causare; ergo nec in primo ab omnimoda paritate: probatur sequela, quia æquè distans ultimum non esse, & primum non esse: minor etiam patet, quia alioquin posset aliquid seipsum producere, etiam quoad primum suum esse.

Probatur quarto: Quia nihil potest causare aliquid in genere causæ materialis, quod non existit; ergo nec etiam in genere causæ formalis, aut efficientis, ant. patet, quia nulla forma sine substantialis, sive accidentalis, potest esse etiam pro unico instanti sine subiecto, consequentia clara est ex paritatis ratione.

Dices: Ut una res agat in aliam, non requiritur, ut sint in uno, eodemque indivisibili loco, sed sufficit, ut sint cotingua, & nihil mediet inter ipsa; ergo etiam, ut aliquid causet aliud, non requiritur, ut sint in eodem temporis instanti, sed sufficit, ut nihil mediet inter esse unius & esse alterius. & negando consequentiam; Quia res, quæ antè extitit & non est modo, perinde se habet, ac si nunquam fuisset, quod si verò nunquam fuisset, nihil posset Physicè producere; ergo nec illa, quæ modo non est, licet antè fuerit; Quod verò causa posset adhuc producere, licet non sit in eodem indivisibili loco, est, quia non tollitur productiva virtus, nec definit continere in se effectum, minus ipsa existentia vel essentia, quando autem causa corrupta est, nec existentiam habet, nec continet in se amplius virtutem productivam alicujus effectus.

Dico 2. *Causa formaliter sumpta non est prior suo effectui.* Ita Aristot. 2. Phys. 37. & 5. Met. cap. 2. ubi ait: *Causam in actu & effectum in actu simul esse, sed causam in actu esse, nihil aliud est, quam causam actu causare & effectum in actu, quam actualem terminare influxum, ergo.* Deinde Probatur etiam ex communi regula Prædicam. Quæ docet, relativa esse simul, sed causa & effectus sunt relativa; ergo debent esse simul, & consequenter causa formaliter sumpta sub relatione non est prior effectui.

Dices: Dantur multa relativa, quæ non sunt simul, sed neque simul esse possunt; ergo ex hac regula nihil deducitur; probatur aut. quia omnia, quæcunque sunt prius & posterius dicuntur relative, sed prius & posterius non possunt esse simul; ergo relativa non possunt esse simul. & Negando aut. cujus probationis minorem distinguo, prius & posterius non possunt esse simul, formaliter considerata, nego mi. materialiter considerata, concedo mi. & nego consequentiam. Itaque quando aliquid unum est prius altero, debet jam esse illud, quo dicitur prius, quia nihil dicitur esse prius se ipso, sed alio, quod si non est, non erit eo prius.

Dico 3. *Causa materialiter sumpta debet esse prior suo effectui, non tempore, sed natura.* Hæc est communis Scotist. & Recent. contra Thomistas.

Probatur primo: *Authoritate tum D. Augustini lib. 7. Civit. cap. 9. ubi ait: Semper prior est res, quæ facit, quam illa, quæ fit; sicut enim nihil fit, ita nihil inchoatur, ut fiat, quod non faciens causa præcesserit: tum Aristotelis id sæpè docentis, unde regula illa post. prædicamentalis: Et Causa effectui dicitur esse prior.*

Probatur autem secunda pars primo: Quia dantur defectò multe causæ, quæ produ-

producent suos effectus, & tamen non extiterunt tempore ante suos effectus; ergo id non requiritur, quamvis contingere possit, ut sic præcedant, sicut dicendum est de Deo, respectu creaturarum: probatur ant. quia sol verè producit lumen, ignis calorem &c. Sed nec sol, nec ignis tempore extiterunt, antequàm producerent suos effectus, ergò: probatur mi. quia sicut dicit D. Augustinus: Si sol esset ab æterno, etiam lumen esset ab æterno; ergò nunquam extitit sol, antequàm produceret lumen, alioquin lumen etiam non foret ab æterno. Secundo: Quia causa non est causa, nisi pro illo priori instanti, pro quo causat, quia antea tantum causa in actu primo, seu potens causare; ergò in ratione causæ non exigit prioritatem temporis.

Probatur tertia pars: Quia quod causat aliud, debet esse prius illo, quod causatur ab eo, sed non debet esse prius tempore; ergò ad minus prioritate naturæ: probatur ma. Omne independens est prius alio dependente, & omne dependens est posterius, sed omne, quod causat aliud, est independens & quod causatur, est dependens; ergò illud, quod causat, debet esse prius illo, quod causatur. Confirmatur: Illud est prius, à quo non valet subsistendi consequentia, sed ab existentia causæ non valet subsistendi consequentia ad existentiam effectus; ergò causa est prior effectui. Valeat confirmatio, quantum potest, melior est vis probationis. Sed in Contra

Arguitur: Omnis causa, ut causet, necessariò debet habere existentiam, ut dictum est in prima Conclusionè, sed quidquid habet existentiam, debet habere durationem realem; ergò etiam causa, ut producat duratione reali, debet præcedere effectum tempore, & non tantum naturæ: probatur min. quia omne, quod existit, debet posse mensurari, sed instans naturæ mensurari nequit, ergò. *q. dist. ma. debet*

habere existentiam tempore præcedentem, nego ma. naturæ prius intelligibilem, reverà inter causam & effectum cum fundamento repertam, concedo ma. & mi. nego consequentiam. Itaq; licet verum sit, quòd illa, quæ simul tempore existunt, mensurari nequeant, sic est causa & effectus, qui tantum naturæ est posterior, potest adhuc tamen intelligi, quòd unum existat ab alio, qui ordo essentialis dependentiæ cum sit realis & non fictus, necessariò infert inter extrema prioritatem & posterioritatem aliquam realem, ordo enim semper dicit prius & posterius, & in hoc sensu dicitur causa esse prior suo effectui, licet sint in tempore simul. Sed

Instatur: Illæ causæ debent existentiam habere tempore præcedentem, quæ plura requirunt instantia, ut suum effectum ponant, sed causæ liberæ requirunt plura instantia; ergò ad minus causæ liberæ, ut producant suos effectus, debent habere existentiam tempore præcedentem: probatur mi. quia causæ liberæ debent habere potentiam ad operandum & non operandum, sed operari & non operari posse, requirunt plura instantia. *q. negando mi.* Ad cuius probationem dico, quòd in eodem instanti, quo causa libera operatur, intelligitur prius naturæ habere potentiam ad actum & posterius naturæ elicere illum actum, & in illo priori habet indifferentiam, seu potentiam ad eliciendum vel non eliciendum, non quidem conjunctim, sed divisim, & sic operatio & non operatio sunt possibiles in eodem instanti disjunctim, quòd autem habeat causa libera talem potentiam ad opposita disjunctim, ex eo patet, quia immediatè ante instans temporis, quo habet actum, habet hujusmodi potentiam & in eodem instanti temporis, quo operatur, retinet adhuc eandem potentiam, ut est prior natura ipsa operatione.

DISPUTATIO III.

DE CAUSA MATERIALI & FORMALI.

In primo libro sufficientèr explicui entitates & naturas harum causarum, restant tamen adhuc aliqua solvenda & elucidanda de ipsis, secundum quod habent rationem causæ, quam habere suppono certissimè: licet enim non efficiant aliud, constitunt tamen aliquid, ratione cuius constitutionis adhuc causæ dici debent, unde etiam nomen materie paulò latius sumam, ut etiam comprehendat subjectum completum, seu materiam secundam. *Sic igitur*

QUÆSTIO I.

De Effectibus Materiae & Formæ.

Supponi deberet hæc quæstio ex dictis, effectum materiæ & formæ aliud non esse, quam totum compositum ex iis resultans, cum sint partes ejus essentialiter ingredientibus & constituentes illud, verum tamen quia non videtur esse effectus adæquatius, ideo quæritur hic, an præterea sint alii? ad quod

Dico I. Materie primæ effectus, præter totum, *F. Amandi Hermann Physica.*

sum compositum, possunt esse adhuc forma, unio & generatio, ut mutatio est. Hæc colligitur ex D. *q. 5. d. 1. & d. 12. q. 1.* Et totum compositum esse effectum, non vocatur in dubium.

Probatur ergò de forma: Illud verè debet dici effectus alicujus, quod sit ab alio cum dependentia hujus ab illo, sed forma materialis (de hac enim tantummodo sermo mihi est) fit à materia cum dependentia ab illa in esse & conservari; ergò forma verè erit effectus ejus. Confirmatur, quia omnes formæ materiales

riales educuntur de potentia materiae, sed quae sic educuntur, verè causantur ab ea in genere causae materialis, ergò.

III.

Dices: Materia debet esse causa intrinseca rei, cuius est causa, sed materia non est intrinseca formae; ergò materia non est causa formae; patet ma. quia est principium, quod primò, & per se inest rei, & si resolvitur, in hoc abit ultimum; ergò: probatur etiam minor, quia alioquin forma non esset actus Physicè simplex. R. dist. ma. debet esse causa intrinseca, respectu rei completæ, concedo ma. respectu rei incompletæ, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam, ad probationem dico; quòd in definitione materiae addatur quidem illa particula cum primò & per se inest, hoc tamen esse respectu totius compositi, propter quod respicit etiam formam, cuius tamen causa est, tum ex hoc, tum ex eo, quòd forma ab ea in fieri & conservari dependeat, ita ut connaturalitèr esse non possit sine materia.

Instabis: Illum effectum non competere materiae, quia materia est, sed quae efficiens est; ergò: probatur ant. à paritate de intellectu, qui licet in se recipiat intellectionem, ut causa materialis, tamen intellectio non est effectus, nisi efficientis; ergò idem dicendum de materia. R. negando ant. ad probationem eius, nego similitèr consequentiam. Ratio disparitatis est, tum quia harum formarum dantur aliae causae effectivæ sufficientèr, absque eo, quòd materia ad eas effectivè concurrat, quales non dantur respectu intellectionis: tum quia nemo dicit, materiam efficere etiam partialitèr formam; nec est iste modus loquendi in usu, unde quamvis non posset ostendi aliquo argumento efficaci, quòd non concurrat efficientèr materia, quia tamen neque potest ostendi, quòd sic concurrat, à communi non est recedendum.

IV.

Probatur Conclusio etiam de Unione & Generatione: Quia hæc à materia dependent in fieri & conservari; ergò erunt effectus materiae; probatur ant. quia materia est subiectum generationis, sicut etiam propriè unionis, quia connectitur cum forma, ergò: probatur ant. quia generatio & unio sunt accidentia respectiva; ergò necessariò petunt subiectum, non aliud, quam materiam ex qua componuntur, non tanquam ex parte, sed tanquam ex subiecto; ergò.

V.

Dices: Generatio & unio sunt viæ, per quas aliquid fit; ergò non sunt effectus: probatur ant. quia generatio est mutatio, & transitus alicujus à non esse ad esse, & unio est ratio a medium, quo aliquid factum & constitutum est, ergò. R. negando consequentiam, licet enim generatio & unio viæ sint, per hoc tamen non excluduntur à ratione effectus, sicut forma, licet causa sit, non excluditur à ratione effectus, cum fiat, ut terminus partialis & quòd, sufficit ipsis itaque, ut dicantur effectus, quòd à materia dependant.

VI.
Effectus forme.

Dico 2. Effectus formae præter compositum, primariu est actuatio, informatio & complexio mate-

riae, secundariu verò est expulsio alterius formae ab eodem subiecto.

Probatur quoad primam partem, quia subiectum effectum & informatum à tali forma, dependet à tali forma, secundum suum esse completum; ergò aliquatitèr erit effectus ejus, quia accedit nova denominatio esse informati, actuati, &c.

Probatur etiam secunda pars:

Quia quando una forma expellit aliam ab eodem subiecto, illa expulsio fit in genere causae formalis; ergò est effectus ejus: probatur aut. quia illa expulsio fit mediante sua informatione, sed quòd fit mediante informatione, fit in genere causae formalis; ergò: quare expulsio in genere causae efficientis spectat ad agentia introducentia formas impossibiles. Sed quid videtur difficile conceptu? quomodo si forma expellit aliam, tantummodo seipsam collocando in subiecto, expulsio illa contingere possit? si expellit eam, quando est, sequitur, quòd duae formae sint simul, si verò expellit, quando non est, tunc nihil expellendum restat. Ideò pro declaranda difficultate & solvendis instantiis.

Quæres: An prius introducatur forma

nova, vel prius expellatur forma antiqua? R. in eodem instanti reali, quo introducitur una forma substantialis (idem est de accidentalibus in gradibus, in quibus sunt sibi contrariae) expellitur alia, introductio tamen novae formae est prior naturæ expulsionem antiquae.

Probatur prima pars: Ex opposito

sequeretur, duas formas substantiales non subordinatas, verbi gratiâ, ignem & lignum, item calorem & frigus, peccatum & gratiam, naturalitèr esse in eodem subiecto, aut saltem naturalitèr materiam esse sine omni forma substantiali, sed hoc dici nequit, ergò: probatur sequela, si non expellitur forma illo instanti, quo altera introducitur; ergò vel destruitur in instanti præcedenti vel sequenti, si primum; ergò per unum instans reale materia erit sine forma, si secundum; ergò per unum instans materia est sub duabus formis.

Probatur secunda pars: Quia hæc

causalis est vera, ideò corrumpitur forma ligni, quia introducitur forma ignis & non e contra. Deinde expulsio formae est effectus secundarius; ergò debet præsupponere effectum primarium, sed primarius est introductio formae, ergò. Sed in contrâ.

Arguitur: Forma antiqua est impedi-

mentum, ne forma nova introducatur, sed prius debet tolli impedimentum introductionis; ergò prius debet tolli forma. R. dist. mi. debet tolli pro aliquo priori naturæ, nego mi. pro posteriori, concedo mi. & nego consequentiam.

Instatur: Hinc sequeretur, quòd si suf-

ficeret, ut tollatur pro posteriori naturæ, quòd prius aliquis ingrediatur portam, quam eam aperiat, sed hoc ridiculum est, ergò. R. concedendo sequelam, nec hoc ridiculum est, imò quam maximè necessarium, quia ingressus hominis in locum portæ est causa, cur locum illum porta

porta relinquat, causa autem est prior suo effectu, cum hoc tamen stat, quod ingressus hominis, & apertio portæ sunt in eodem instanti temporis realis.

QUÆSTIO II.

De Causalitate materiae & formæ.

Multi examinant causalitatem formæ respectu materiae, cum tamen omnem negent influxum in eam, quare suppono, quod tam materia, quam forma duplicem exerceat causalitatem, unam respectu sui invicem, alteram respectu compositi, utraq; examinanda est, quid sit? & in quo consistat? Pro cuius rei clariori intelligentia

Notandum primò: In qualibet causa tria potissimum considerari debere. Primò est res ipsa, quæ dicitur causa: secundò conditio, sine qua non: tertio causalitas, quæ, ut supra dictum est, relatio est causam denominans formaliter causantem: quæ tria inter se distincta esse, patet in qualibet causa, nam ignis, secundum suam entitatem, est res ipsa, quæ denominatur causa, applicatio & approximatio rei combustibilis est conditio, & causalitas est relatio ex eo orta, quod sit aliquid, quod habeat esse ab ista causa, & cum ante & post productionem possit esse ipsa entitas sine tali relatione, sequitur, quod sit quid distinctum ab ipsa.

Notandum secundò: In unico instanti reali temporis causati formam, unionem & compositum, ut plurimum, adeoq; etiam simul sunt horum causalitates, ita tamen, ut diversa habeant instantia nature, quia in primo instanti est entitas absoluta formæ, ab entitatibus absolutis efficientis & materiae simul: In secundo instanti resultat duplex relatio causalitatis passivæ ad utrumque, & econtrà, causalitatis activæ in causis ad illam. In tertio producitur unio inter materiam & formam. In quarto producitur compositum, ad quod resultant, relationes causalitatis materialis, formalis & efficientis, in materia, forma & efficiente ad compositum, & econtrà causalitatis passivæ in composito ad illas. De his ergò controvertitur, in quibus constat causalitas cuiuslibet causæ, ad quæ resolvenda

Dico I. Causalitas formæ, respectu materiae, consistit in unione, quæ unitur materiae. Hæc colligitur ex Doctore 4. d. 13. q. 1. & est etiam communis.

Probat: Quia illa est formaliter causalitas, quæ posita ponitur effectus, & causa denominatur formaliter & actualiter causans, sed posita unione in forma habetur effectus formæ, scilicet materiam esse informatam & actuatam, & forma denominatur formaliter & actualiter informans; ergo, unio erit causalitas formæ, respectu materiae. Intellige conclusionem secundum frequentèr dicta, quoad esse specificum & completum, quod ab ea extrinsecè recipit.

Dices: Causalitas cuiuscunque causæ est respectus intrinsecus adveniens, sed unio non

est respectus intrinsecus adveniens; ergò unio nequit esse causalitas formæ respectu materiae. Sed r. dist. ma. Causalitas cuiuscunque causæ effectum novum reverà producentis, concedo ma. non sic producentis novum effectum, sed tantum extrinsecè denominantis, nego ma. & concessa mi. nego consequentiam. Itaque causa referri potest, tam ad subiectum, in quo producit effectum, quam quoad ipsum effectum, si referatur ad ipsum effectum, resultat causalitas & relatio intrinsecus adveniens, si verò referatur ad subiectum, in quo producit, non resultat relatio & causalitas aliqua propria, quare etiam forma cum non causet materiam, secundum suum esse, sed tantum secundum esse extrinsecum & adventitium, in quantum eam facit esse informatam, idè non resultat relatio intrinsecus, sed tantum extrinsecus adveniens.

Dico 2. Causalitas materiae, respectu formæ, non consistit in receptione actionis agentis, nec in simpliciter receptione formæ, nec in unione ad eam, sed in concursu eductivo explicato per habitudinem, ex quo aliud. Ita Doctor supra & in 2. d. 1. q. 5. Magistrus & plures alii contra Pontium.

Probat quoad primam partem: Quia quæcunq; causa refertur ad suum effectum per propriam causalitatem, sed materia, ut recipit actionem agentis, & ab eo patitur, non refertur ad formam, sed ad agens; ergò eius causalitas non potest consistere in tali receptione actionis agentis. Confirmatur, quia in quantum recipit actionem, habet rationem passionis; ergò non potest esse eius causalitas; probatur consequentia, quia deberet esse passio, sed passio nequit esse, cum sit respectus extrinsecus adveniens, causalitas autem materiae respectu formæ, est intrinsecus adveniens, ergò.

Dices: Materia concurret passivè & potentialiter ad formam, sed concursus causæ passivæ & potentialis est pati ab agente; ergò concursus non est aliud, nisi receptio actionis, agentis; probatur consequentia, quia pati non est aliud, quam recipere actionem agentis, ergò. r. negando consequentiam, cum sua probatione; nam concursus materiae dicitur passivus etiam præciso ordine ad agens, unde si forma posset seipsam unire materiae, adhuc concursus ejus esset passivus, quia esset per modum receptionis & sustentationis.

Probat Conclusio quoad secundam partem: Quia recipiens ut recipiens, non dat verum esse illi, quod recipit, sed materia dat verum esse formæ; ergò causalitas ejus nequit esse simplex formæ receptio: patet, quia recipiens potius extrinsecè mutatur, & ab eo, quod recipit, esse aliquid accipit; ergò recipiens ut recipiens non dat verum esse ulli rei. Confirmatur: Quia anima rationalis recipitur verè in subiecto, scilicet corpore, sed corpus non dat ipsi aliquid esse; ergò neque materia formæ, ex eo, quod in se recipiat ipsam, adeoque causalitas nequit esse talis receptio, cum per causalitatem causa debeat denominari saltem formaliter causans.

Probat tertia pars primò: Authority Doctoris supra asserentis relatio-

VI. Assignatur in quo consistat causalitas materiae.

VII.

VIII.

IX.

nem educationis ad eductum, qualis est causalitas materiae respectu formae, esse intrinsecus advenientem; ergo unio non est causalitas respectu formae, cum sit relatio extrinsecus adveniens. Nec valet dicere, Doctorem loqui de relatione inductionis, quae se tenet ex parte agentis; Quia non est potior ratio, quare haec esset intrinsecus adveniens, & non relatio educationis ad eductum, nam quemadmodum agens extrinsecum per verum influxum formam educit de potentia materiae, ita etiam materia in suo genere concurrat, per verum influxum ad educendam illam, cum aequè dependeat ab ea in fieri & conservari. Denique uni tam bene competit descriptio relationis intrinsecus advenientis, ac alteri, ergo.

x. Probatur eadem pars, secundo:

Deus potest supplere causalitatem materiae respectu formae; ergo unio non est causalitas materiae: probatur consequentia, quia Deus nequit supplere unionem: probatur etiam antea, quia potest Deus totum formam dare & praestare quod praestabat ei materia, sed hoc est supplere causalitatem eius, quam tamen nequit supplere respectu unionis, quia Deus non potest facere aliqua, esse unita sine unione eis superaddita.

Tertio Potest haberi unio materiae ad formam, absque eo, quod materia causet illam materialiter; ergo unio non est causalitas materiae; consequentia optima est, quia quae separari possunt, idem esse nequeunt: probatur ergo antea, quia datur defectus unio ad animam rationalem in materia absque eo, quod anima causetur a materia, sicut etiam in materialibus formis contingere potest, nam si Deus produceret extra subiectum aliquam formam, verbi gratia, lapidis vel ignis, sicut non implicat, & postea illam uniret materiae, in tali casu materia verè uniretur formae, & tamen eam non causeret materialiter; ergo unio nequit esse causalitas materiae.

Nec valet dicere, aliquam unionem non esse causalitatem, esse tamen alias, quia est eadem ratio; nam in primis unire & causare sunt disparata; ergo etiam unio & causa, & consequenter nunquam possunt coincidere; patet antea, quia uniri significat passivè, causare verò significat influxum in effectum activè. Deinde patet illam impertinenter haberi, quia datur unio sine dependentia & influxu causativo, ut in anima rationali, & contra datur dependentia, & influxus causativus sine unione, ut contingit in causa efficiente & finali.

Probatur ultima pars, tum ex Auctoritate Aristotelis saepe & potissimum 2. Phys. & 5. Met. asserentis: materiam esse ex quo aliquid fit, atqui particula ex melius exprimit causalitatem eductivam materiae ad formam, quam particula in, cum non omne quod est in materia, sit ex materia, ergo: tum Ratione, quia per illud bene explicatur causalitas causae respectu causati, per quod formaliter absolutum causae influit in absolutum causati, & virtute cuius nequit intelligi absolutum causae, quin praetelligatur tanquam naturam praecedens absolutum causantis, sed per respectum illum ex quo,

tanquam ex subiecto, forma educitur, verè intelligitur subiectum influere esse in formam, & ex vi illius educationis implicat intelligere absolutum formae, quin praetelligatur tanquam naturam prius absolutum subiecti, ergo &c.

QUAESTIO III.

An Deus possit supplere causalitatem materiae & formae & quomodo?

Quaestio procedit tam de causalitate, quam materia & forma exercent respectu compositi, quam respectu sui invicem; unde

Dico 1. Deus in nullo genere causa potest supplere causalitatem materiae vel formae, respectu compositi. Ita Doctor 1. d. 2. q. 2. n. 10. & post eum communis sententia. Et

Probatur primo: Auctoritate D. Bernardi. Lib. 5. de consid. cap. 7. ubi dicitur: Neg. enim subiectum fieri potest forma enim est.

Probatur secundo: Materiam & formam causare compositum, nihil est aliud, nisi concurrere ad constitutionem eius per modum partis, sed Deus in nullo genere potest concurrere per modum partis; ergo non potest supplere causalitatem earum; probatur minus, quia concurrere per modum partis, arguit simpliciter imperfectionem, quae in Deo ne quidem cogitari debet.

Probatur tertio: Supplere materiae causalitatem respectu compositi, nihil est aliud, nisi in composito habere rationem materiae, vel esse materiam, sed Deus nequit esse materia aut materiale quid, ergo: probatur mi. quod habet rationem materiae debet esse principium mutabilitatis & mutationis, sed Deus non potest esse principium intrinsecum tale, cum sit infinitus, ergo. Idem dicitur de forma, nam habere rationem formae, eiusque causalitatem supplere, est esse formam & partem quidditative constituentem compositum, & determinantem materiam ad certam & determinatam speciem, quae Deo nullam ratione convenire possunt.

Dices: Omnis causa secunda dependet a Deo in essendo & causando; ergo cum quicumque concurrat iuxta specialem modum causandi eius: subsumo, sed quidquid facit Deus cum causa secunda, potest se solo facere, ergo. & negando consequentiam, quia Deus non semper concurrat in eodem genere causae, si causa secunda imperfectionem involvat, quia tunc concurrat in genere aliquo eminentiori, scilicet in genere causae efficientis: quare dist. subsumptum: Potest se solo facere in genere causae efficientis, aut alterius eminentioris, quae imperfectionem non involvat, concedo subsumptum, quae involvit imperfectionem, nego subsumptum &

Dico 2. Deus in nullo genere causa potest supplere causalitatem formae, nec materia in proprio genere, bene tamen in genere causae efficientis.

Probatur prima pars: Effectus istius causalitatis non distinguitur entitatively a forma

forma in subiecto existente, ut lignum esse calidum formalissimè aliud non est, quàm habere calorem, sed talis effectus nequit præstari à causa efficiente, vel in genere causæ efficientis; ergo in nullo genere potest Deus supplere: manifestat, quia non est assignabilis alius modus, quo subiectum denominaretur tali denominatione extrinsecà: probatur mi. modus causandi causæ efficientis fit per productionem effectus ab ea realitèr distincti, sed effectus causæ formalis non potest sic fieri, ergo: probatur mi. quia fit per communicationem suæ entitatis subiecto.

Probatur secunda pars: Quia causalitas materiæ est educatio & sustentatio formæ, sed hæc nequit fieri, nisi per subiectionem sustentantis ad rem sustentatam, sed Deus nequit in se recipere & sustentare formam; ergo nequit supplere hanc causalitatem.

Probatur tertia pars: Quia in Eu-
charistia existit quantitas, & tamen non subie-
ctatur in materia, ergo. Deinde potest Deus
conservare formam sine unione ad materiam,
solâ actione conservativâ, quâ antecederet
conservabat in materia.

Dices contra prima pars. VI.

Forma unitur materiæ unione, quæ est in materia; ergo potest Deus se ipsum unire subiecto, sine mutatione & imperfectione receptionis, per solam terminationem materiæ inexistentis. R. negando ant. Quia forma non potest uniri subiecto sine aliqua mutatione sui, & hæc mutatio non fit, nisi per receptionem unionis, quâ intrinsecè formalitèr dicitur unita subiecto, quod debet informare.

DISPUTATIO IV.
DE CAUSA EFFICIENTE CREATA.

Dari causam efficientem res defectu non vertitur amplius in dubium, quàmvis nonnulli olim, teste Averoe, opinati sint, nullam causam creatam dari, quæ aliquid produceret, sed Deum tantummodo ad presentiam caloris producere calorem, ad presentiam ignis ignem, ad presentiam nivis frigus & sic de cæteris. sed hæc deliria fuisse veterum, probat tum fides ex Concilio Tridentino damnante omnes eos Sess. 6. Can. 4. qui dicunt liberum arbitrium nihilominus agere, sed habere se passivè & mortuo modo, & ex ipsa Sacra Scriptura, quæ varios effectus rebus, & causis creatis adscribit, ut sunt omnia merita & demerita, probat item ratio, quia videtur inconceptibile, quod non ego hanc descriptionem faciam, sed Deus solus ad presentiam manus meæ, cum illa charta & calamo sit sæpè præsens, nullam tamen descriptionem faciat, imò non apparet, cur natura providerit de tot tantis, diversis organis & instrumentis hominum, brutorumq; ad producendos diversissimos effectus, & sibi proportionatos, si Deus ad presentiam nudam eos produceret, cum posset ad presentiam auris producere visionem, & ad presentiam oculi auditionem; si enim ipse est, qui omnia operatur, non potest demonstrari, cur ad presentiam huius potius producat effectum, quàm alium. Et licet censeretur possit, præmittendam disputationem, vel de causa in communi, vel de causa efficiente prima, quia tamen nihil causa in Deo, & creatura potest esse commune, sicut nihil est esse, ideo de causa creata disputationem inchoandam putavi, ut quemadmodum natura, ita etiam doctrina, ab imperfectioribus progredere ad perfectiora, imò perfectissimum Deum, ideo pronuncietur.

QUÆSTIO I.

Quid sit causa Efficiens?

Aristoteles plures tradidit causæ efficientis definitiones, vel potius descriptiones, tum in Metaphysica, tum Physica. Prima est: Causam efficientem esse primum principium per se, à quo procedit actio, vel motus atq; effectus; Altera, quam habet s. Metaph. t. 2. est, quod sit principium primum mutationis & quietis, quæ definitiones à nonnullis recipiuntur veluti bonæ & adæquate; ab aliis contra rejiciuntur, veluti in sufficientes & non abs re, nam prout in terminis jacent, neutra unquam mihi arrisit, graves etenim patiuntur difficultates, in primis enim non explicatur satis ejus causandi ratio, cum aliis conveniat, ut fini, tempori, loco, &c. quibus verè competit, nam finis est primum principium, & quidem magis primum, quàm sit effi-

ciens, cum finis efficientem moveat, materia item primum principium est omnis mutationis, & sic de aliis. Denique certum est naturam esse primum principium mutationis & quietis ejus, in quo est, si ergo causa efficiens etiam est tale principium, quomodo igitur inter se differunt? Propter has & similes difficultates Authores passim recedunt ab Aristotele, quàmvis non negem, quin posset etiam commode salvari & explicari. Itaque ut meam mentem & descriptionem proponam, notandum, quod non intendam aliam descriptionem dare, quàm causæ efficientis ad compositum Physicum, prout est una ex quatuor causarum generibus, non verò, ut comprehendat efficiens creativum, quod causare & efficere potest sine motu & mutatione. Unde ad quæstionem, quam breviter expediam,

DICO: causa efficiens propria, Physica & principalis bene describitur, quod sit causa extrinsecà, per se realitèr influens esse in effectum, ipsam ex ratione

II. Describitur causa efficiens.

ione causalitatis non sustentando. Hanc, ut probem, declaro omnes ejus particulas. Dicitur itaque: *Causa extrinseca*, per quam particulam excluditur materia & forma, & convenit cum causa finali, nam materia & forma, licet concurrant ad compositum Physicum, non tamen extrinsecè, sed intrinsecè seipsas communicando: dicitur *per se*, per quod excluduntur causæ per accidens & instrumentales, quæ non in virtute propria & per se agunt, sed tantum in virtute communiata; excluduntur etiam conditiones sine quibus non &c. Particula *realiter* excludit causam finalem, quæ non nisi intentionaliter & metaphorice movet ad agendum. Dicitur *influens esse in effectum*, supple distinctum, per quod iterum excluduntur materia & forma, & adstruitur vera ratio causæ efficientis, quia nulla alia causa dat per se realiter esse effectui distinctum, præter efficientem, nam ut communis docet, & esse quoque de mente Scoti, superius probavi, materia & forma ut unitæ, non causant compositum, sed sunt ipsum compositum; Nec refert, quod materia etiam videatur dare esse alicui distinctum, seu influere in effectum distinctum, scilicet in formam, quia ejus influxus per ultimam particulam sufficienter rejicitur, scilicet *ipsum*, id est effectum, *ex ratione causalitatis suæ non sustentando*, quia materia ex sua ratione formali, quæ influit in formam, petit etiam eandem sustentare, cum in tali naturali sustentatione consistat ejus causalitas, quare licet etiam quandoque efficiens suum effectum sustentet, hoc non facit ex ratione suæ causalitatis, sed aliunde, exemplum sit de voluntate, quæ suam volitionem sustentat, non tamen ratione efficientis, sed quia est causa materialis ejusdem volitionis, & sic est quoque de intellectu. Per particulam *esse in effectum* supra positam, excluditur etiam causa corrumpens compositum, quæ potius dici deberet deficiens, quam efficiens. Item subjectum, respectu passionum, & relationum sibi identificatarum, quæ non per efficientiam, sed per emanationem procedunt. Contra datam definitionem non invenio particularem aliquam difficultatem, quare propro ad alia.

QUÆSTIO II.

De Causalitate Causæ Efficientis.

I.
In quolibet
efficiente
tres sunt re-
spectus.

Pro resolutione hujus quæstionis, Notandum ex Doctore, in quocunque Efficienti creato tres reperiri respectus: Primus est ad terminum totalem & principalem, qui dicitur productus, & sine addito dicitur respectus producentis ad productum, verbi gratiâ ignis *A* ad ignem *B* à se productum. Secundus est educentis vel inducentis ad educatum vel inductum, seu forma producta, ut ignis *A* respiciens formam ignis *B* à se de potentia materiae educatam. Tertius est respectus, quem dicit ignis generans ad subjectum formæ ignis generati, quod vocatur passum vel transmutatum, unde dicitur respectus transmutantis ad transmutatum. Primi duo respectus dicuntur, & sunt intrinsecus advenientes, tertius verò extrinsecus adveniens ex eo, quod non resultat necessario positus ex-

remis, quemadmodum resultant priores, potest namque transmutans & transmutatum esse absque eo, quod resultet ulla relatio; Omnes tamen isti respectus communiter, vocabulo actionis exprimi solent, quamvis non omnes actiones ad idem prædicamentum spectent, non priores spectent ad quartum, posterior ad quintum, ut docui in Logica, ubi id ipsum fufius adnotavi, sicut etiam quam multipliciter *Tò Actio* capi possit; unde ex ibidem dictis

Suppono primò: Actionem, quæcunque demum illa sit, non subjectari in passio, sed in agente: Quia actio est in illo, quod denominat agere, sed non denominat passum agere; ergò non erit in passio veluti in subjecto; patet major, nam hoc est commune omnibus formis, tam substantialibus, quam accidentalibus, tam absolutis quam relativis, ut subjectum denominent, cum illi inhæreant, & sese communicent.

Suppono secundò: Ex dictis supra agendo de causis in communi, quamcunque causalitatem non dicere aliquid absolutum, neque relationem aliquam mediam, inter causam & effectum, quia illud absolutum deberet esse vel ipsa entitas agentis, vel aliquid de novo productum, non primum, quia agens per actionem formaliter denominatur agens, nec secundum, quia omnis relatio præsupponit sua extrema, & consequenter nec actio erit aliquid absolutum, nec respectivum, medians inter causam & effectum. His præmissis

Dico I. Causalitas causæ efficientis in actu primo, est virtus, à quâ habet aliquid posse influere esse in effectum distinctum.

Probatur: Quia illa est causalitas in actu primo, à quâ res habet, ut denominari possit causa in tali actu, licet nihil producat, sed à virtute illa denominatur res formaliter causa in actu primo; ergò virtus illa erit ejus causalitas: ma. patet, quia in hoc distinguitur causalitas in actu primo, à causalitate in actu secundo, quod illa denominet causam, etiam si nihil producat, hæc verò non nisi dum actu producat: probatur mi. quia ex eo, quod res habet talem virtutem, potest vocari causa, quam si non haberet, non posset sic vocari, ergò.

Dico 2. Causalitas causæ efficientis in actu secundo, est actio, si referatur ad causam producentem, & terminum productum de novo, intrinsecus adveniens relatio, si consideretur autem respectu subjecti transmutati in ratione transmutantis, relatio est extrinsecus adveniens. Hæc colligitur ex Doctore in 4. d. 13. q. 1. & in 2. d. 1. q. 2. & alibi.

Probatur primò: Illa est causalitas in actu secundo, quæ posita & præciso omni alio, causa denominatur actu causare, sed posita actione, præciso omni alio, causa efficiens denominatur actu causans, ergò: probatur mi. quia posita actione in igne *A* denominatur formaliter causans ignem *B*, & transmutans subjectum, ergò.

Probatur secundò: Quodlibet abstractum debet explicari per aliquod abstractum, sed

sed causalitas est aliquid abstractum; ergo ipsa debet explicari per aliquid abstractum, sed in causa efficiente nihil melius dicitur, quam efficiencia, seu actio; ergo actio erit causalitas cause efficientis: probatur subsumptum, quia si esset aliquid, esset agere vel efficere, sed hoc non potest esse, ergo: ma. est Adversariorum: probatur mi. Non bene exprimitur, album est qualitas; ergo nec bene dicitur, causalitas est agere vel efficere, ex eo, quod unum sit concretum & alterum abstractum, & e contra sicut bene dicitur, albedo est qualitas, ita bene dicitur, causalitas est actio, ergo. Sed in contra

dependentia non arguit effectum proprie dictum.

QUAESTIO III.

An Causa secunda Creat a aliquid efficienter producat?

In Ingressu ad hanc disputationem

prænotavi quidem aliqua, tanquam certa, quod causa creata non mere passivè se habeat, sed etiam efficienter concurrat ad suos effectus producendos, videtur nihilominus materiae utilitas exigere, ut res paulò fufius examinetur, supponendo itaque inania fuisse deliria antiquorum, Deum omnia producere ad præsentiam causarum creatarum,

DICO: Causæ secundæ in hoc sublunari mundo verè Physicè efficiunt & producunt suos effectus. Hæc est Catholicorum omnium, &

Probatur primò: Ex Sacra Scriptu-

ra 1. Joan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem patiendi & clausit viscera sua ab eo. Si enim fratrem suum, quem videt non diligit, Deum, quem non videt, quomodo diligere possit: & Matth. 25. Prædicat Saluator, quomodo Filius hominis, cum venerit in Majestate sua, exprobrabit Peccatoribus, quod opera bona neglexissent facere: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, sitivi, & non dedistis mihi potum, hospes eram, & non collegistis me, infirmus & in carcere, & non visitastis me, quia non fecistis mihi ex minimis meis, nec mihi fecistis.* Et alibi plura similia comminatoria & exprobratoria. Ex quibus sic argumentor: Si Deus omnes omnino effectus causarum secundarum producit, ita, quod illæ nihil præsent, præter solam præsentiam, non haberet rationem, cur unos collaudaret de factis operibus bonis & meritoriis, & aliis exprobraret: omissionem istorum operum, ergo: probatur ant. quia tam boni, quam reprobi exhibuerunt tantummodò præsentiam suam, nec in virtute eorum fuit, ut ipsi producerent suos effectus; ergo gratis exprobraretur ipsis, cum nihil omiserint, quod in ipsis fuit, & si Deus solus producit effectus, solus illa causa est, quare hæc sint producti, & illinc sint omisi.

Probatur Conclusio secundò,

Authority Sanctorum Doctorum nostrorum Augustini lib. 5. de Civit. cap. 9. ubi docet: *Humanas voluntates humanorum operum causas.* Serm. 38. de verbis Dom. cap. 10. ait: *Homo hominem generat, equus equum, & pecus pecudem:* & 3. Trinit. cap. 8. dicit: *Sicut Matres sunt gravidæ fetibus, ita ipse mundus gravidus est causis nascentium:* ac denique lib. 9. cap. 17. universalitèr docet: *Naturam à Deo creatam esse ad suos certos effectus.* D. Bernardi de Vite mystica cap. 32. ubi ait: *Charitas ergo, quæ oriosa esse non potest, ubicunq; est, operibus se ostendit, sicut beatus Gregorius dicit: Probatio dilectionis exhibitio est operis:* & Epist. 84. de castigationis ratione & discretionem habenda scribens ait: *In similibus factis causa dissimilis simile recusat iudicium.* Et de Convers. ad Clericum cap. 8. adferbit opera nostra nobis dicens: *Nec enim opera*

H h h trans-

Arguitur: Nequit dici, quod causa efficiens habeat aliquam causalitatem respectu ejus, in quod non influit esse, sed non influit esse in subiectum; ergo non potest dici, quod habeat aliquam causalitatem respectu ejus. Sed R. dist. mi. non influit esse intrinsecum & absolute, concedo mi. non influit esse extrinsecum & secundum quid, nego mi. & consequentiam. Itaque licet subiectum præsupponatur simpliciter agenti, nihilominus sicut materia dicitur effectus formæ extrinsecus, ex eo, quod accipiat ab ea esse specificum, & determinatum in genere cause formalis, sic quoque subiectum accipit esse ab efficiente, non quod producat, sed quia transmutatur, ratione cuius transmutationis habet aliud esse nunc, quam antè habuerit. Sed

Instatur: Ab omnibus causalitatibus debet posse abstrahi aliqua ratio communis, sed ab eo, quod est secundum quid tale & ab illo, quod est simpliciter tale, non potest abstrahi aliqua ratio communis; ergo nec dici debet, causalitatem cause efficientis esse aliam ad subiectum, aliam ad terminum productum. R. negando mi. quia illud, quod est secundum quid tale & illud, quod simpliciter est tale, possunt habere aliquam rationem communem, si non specificam, saltem genericam & universalem, ut patet in pluribus aliis: & sic causalitas cause efficientis, ut sic dici poterit actio præsciendens à termino simpliciter producto, & à termino secundum quid producto, quia differentia illarum causalitatum erit specifica, non generica. Imò dici potest, licet non possit abstrahi conceptus communis simplex, poterit conceptus communis compositus disjunctivus, verbi gratia relatio, unde aliud productum est, vel transmutatum.

Urgetur: Ab eo, quod est effectus & quod est causalitas, nequit abstrahi aliqua ratio communis generica, cum sint diversorum generum, sed actio una est effectus; ergo nequit esse communis cum altera, quæ est causalitas: ma. patet, probatur minor, quia actio transmutans est ipse effectus, cum aliàs nihil producat, imò utraque dici potest effectus, cum ab ipsa causa utraque dependat. R. dist. mi. est effectus Physicè productus, nego mi. per emanationem, concedo mi. & similiter dist. probationem ejus, est namque utraque actio effectus per emanationem, verum ista

F. Amandi Hermann Physica.

I.

II.

Causæ secundæ verè aliquid produciunt.

III.

transcunt, ut videntur, sed temporalia quæq, veluti eternitatis semina jaciuntur. Et alibi sæpe similia.

III.

Probatur Conclusio tertiò

Ratione, tum cujuslibet experientiã, quã scit se operari, loqui, scribere, ambulare, comedere, sed istæ operationes non proveniunt à Deo, sed ab ipso operante, ergò: probatur min. quia hæ, & similes operationes requirunt intrinsecum principium, sed Deus non est intrinsecum principium, ergò: patet ma. probatur mi. intrinsecum principium debet esse pars constitutiva veluti ratio quo agendi constituens agens quod, sed Deus non est, sed nec esse potest tale principium, ergò. Confirmatur: Ex operationibus immanentibus visionis, intellectiõnis, quæ requirunt idem principium productivum, quod est earum receptivum, sed si provenirent ab aliqua extrinseca causa, non possent dici immanentes; ergò, nec refert, quòd Aristoteles doceat, *intelligere esse quoddam pati*, quia tantum vult, quòd fiat formalitèr intelligens per passionem, seu receptionem, non verò, quòd non producat eandem etiam efficientèr, quòd de potentiis externis clarissimè liquet, quæ frequentissimè recipiunt species objectorum absq; eo, quòd se advertant videre, adeoq; non sufficit sola receptio visionis, sed etiam requiritur efficientia.

IV.

Probatur quartò: Si Deus omnia

agit, & causæ secundæ requiruntur tantummodo, veluti conditiones, ad quarum præsentiam effectus producit, sequitur, Deum inconsultò, improvidè, & superflue creasse totius universi motum, influxum astrorum, temporum variationem, terrarum dispositiones, sed hoc asserere impium est & blasphemum, cum Deus omnia in pondere & mensura sapientèr & suavitèr disposuerit, & ordinauerit omnia, ne quidquam superflue agendo, ergò: probatur sequela. Quia si Deus producit plantam, aut viventia se solus, non videtur, quòd requiratur terra fertilis & fructuosa, pinguis, pluvia frequens, semen, granum, calor, &c. cum possit illa se solo absque præsentia tot tamq; diversarum rerum producere, ergò: superflue & inconsultò hæc omnia creasset & fecisset.

V.

Dices: Deus se solo conservat omnes effectus causarum secundarum; ergò etiam se solo producit eos: probatur consequentia, quia non plus requiritur ad productionem, quàm ad conservationem, ergò: probatur etiam ant. Quia quando semel ignis productus est, non concurrat amplius causa secunda ad ejus conservationem, sed Deus solus eum conservat, ergò, R. 1. Negando ant. Quia dantur multi effectus, qui planè nequeant conservari à solo Deo, sed necessariò requirunt causas secundas, quales sunt omnes relationes, quæ nullo modo queunt conservari sine subiecto, & non modò in respectivis hoc contingit, sed etiam in probabili Scotistarum sententia in absolutis, qui totum substantiale distinguunt à suis partibus simul sumptis & unitis, quod tamen Deus, nec per potentiam absolutam, conservare potest sine partibus. Deinde sol producit lumen & lucem, quæ tamen requirit continuum concursum & influxum solis ad ejus conservationem. R. 2. dist.

Deus se solo conservat omnes effectus eodem influxu, quo produxit in substantia, concedo, in modo, nego ant. & consequentiam, & dist. similiter probationem consequentia. Itaq; quando conservat, videtur magis concurrere, quàm quando producit, quia tunc se solo præstat influxum, in productione verò concurrat etiam causa secunda. Deinde dici potest, quod quavis effectus causæ non conservetur ab ipsa, conservatur tamen per seipsum etiam partialitèr, quod patet ex eo, quòd resistat contrariis sese destruere conantibus.

Dices secundò: Vel Deus est potens

se solo producere effectum, vel non est, si primum; ergò non requirit ullo modo concursum causæ secundæ, cum tunc potius se oneraret & concursus multiplicare deberet: secundum verò dicere est impium, & etiam quia si se solo nequit facere, per concursum causæ secundæ non acquireret majorem virtutem. R. Deum quidem se solo esse sufficientem ad producendos quoscunque effectus, ex hinc tamen non licet inferre, quòd defacto eos sic producat, quia alioquin gratis tribuisset causis secundis virtutem activam, imò gratis invitaret præmissis ad operationes amoris & dilectionis, gratis clamaret: præbe mihi fili, cor tuum, si non vellet vel suavitèr ordinasset, ut causæ secundæ etiam cooperentur, cum sibi ipse totum cor rapere posset & omnem effectum, actumq; amoris producere, quem cor producere deberet. Deinde sequeretur, quòd vel instrumentum, vel principalis causa nihil ageret, quia deberet uni tantummodo adscribi effectus.

QUÆSTIO IV.

An Substantia sit productiva Substantia, an verò accidentia?

Titulus Questionis non est, an una sub-

stantia possit aliam producere ex nihilo sui & subiecti, de quo infra, quando examinabo, an creatura possit elevari ad creandum, sed an substantia create habeat virtutem, ut possint dependentèr à subiecto producere aliam substantiam, per suam essentiam, tanquam per principium quo principalitèr attingat productionem alterius substantia, an verò omnes substantia ab accidentibus producantur. Circa materiam præter Platonicæ deliria & Avicennæ somnia, qui omnem effectum in Ideas & Intelligentias referebant, ut supra adnotavi agens de forma: Triplex alia solemniter in Scholis est sententia, duæ extremæ, una media. Prima est Thomistarum, quæ asserit, omnem substantiam produci per accidentia, ita docet D. Thomas I. p. q. 45. art. 1. & art. 8. quem sequuntur Thomistæ communiter, ut proinde plures non sit necesse citare, ipsi tamen in duas abiere vias, nam aliqui docent, accidentia producere substantiam in sua propria virtute, quatenus scilicet accidens est; alii e contra & potiori ex parte asserunt, accidens attingere quidem substantia productionem, non verò in propria, sed in virtute substantia, ajunt enim, accidens duplicem habere agendi modum, anum

unum secundum se, quatenus est accidens, & hunc appellant in virtute propria, sic dicunt calorem non posse producere nisi calorem; alterum in virtute substantia; cujus est virtus & instrumentum, sic calor, licet non habeat virtutem, nisi producendi calorem, tamen in quantum est naturale instrumentum animæ & generantis, potest producere carnem & ossa. Altera sententia est Doctoris subtilis in 1. d. 31. & 4. d. 12. q. 3. quem, præter suos, sequuntur Nominales, Recentiores communiter, Durandus, Hurtadus, Arriaga, Oviedo &c. qui omnes unâ voce clamant: Accidens non posse producere substantiam, sed omnem substantiam produci à substantia. Tertia sententia conatur duas priores reconciliare, unde patet, nec substantiam solam, nec accidens solum producere substantiam, sed tam unum, quàm alterum concurrere per modum unius causæ ad productionem alterius substantia; ita Suarez, Comptonius &c. Sed frustra, nam cum semel concedant, ut fatentur, substantiam immediatè & sine accidente habere virtutem producendi substantiam, non est ratio, cur non semper id faciat, cum semper sit proportionata. Antequàm autem ad quaestionem resolvendam progredior

Suppono tanquam certum, nullam substantiam spirituales esse productivam alterius substantia; quod exinde clarum est, quia vel posset producere spirituales vel materiales, sed neutram potest; ergò nullam, non spirituales, quia hæc, cum non sit Physicè composita, petit simpliciter à Deo creari: nec etiam materiales, quia eam debet producere per intellectum & voluntatem, cum alia virtus in ipsis non sit assignabilis, sed intellectus & voluntas nullam possunt producere substantiam, cum sint tantum productivæ intellectus & volitionis, quæ sunt mera accidentia. Itaq;

Dico I. Una substantia naturalis est immediate productiva alterius substantia. Ita secunda sententia, &c

Probatur primò, Authoritate Sanctorum Doctorum, Augustini lib. 12. Civit. cap. 25. ubi ait: *Alia verò* (id est species vel forma substantialis) *quæ intrinsecus efficientes causas habet, de secreto & occulto natura viventis atq; intelligentis arbitrio, quæ non solum corporum naturales species, verum etiam ipsas animantium animas, dum non sunt, facit, & lib. contra secundi: cap. 3. Si genuit ea, cur non equalia generanti? & alibi sæpè, ex quibus apertè colligitur, illud, quod generatur, æquale esse debere generanti, unde cap. 4. dicit: Si de aliquo fecit, utiq; aut de seipso, aut non de seipso; si de seipso, non ergò fecit, sed genuit, cur inferiora genuit? D. Bernardi, Serm. 10. de verbis Domini, ubi hæc habet: Ego sum vitis vera, non illa, quæ versa est in amaritudinem, quæ ut faceret uvas, expectabam, fecit autem agrestes larvae, Ego sum vitis odorifera, pulchritudinis miræ, floribus secunda, dans borum dulcissimum cunctis palmis meis manentibus in me: & Serm. d. S. Benedicto ait: In vallibus pinguedo est, ibi proficiunt plantæ, ibi plena spica, ibi centesimus oritur fructus, juxta illud: vallis abundavit frumento.*

ubi clarè & fufius adstruit arboribus & viti activitatem & fructificationem.

Probatur Conclusio secundò

ratione, quam desumo ex autoritatibus D. Augustini supra: Dantur generationes viventium; ergò una substantia naturalis est productiva alterius: probatur consequentia, omne, quod generatur, debet esse simile generanti, ut patet ex Augustino & insuper, quia generatio definitur, quòd sit productio viventis à vivente, sed substantia una non produceret aliam, nulla daretur talis generatio, ergò: probatur min. quia nullum accidens est vivens, nec ulla substantia constituitur in esse viventis, per aliquod accidens: ergò.

Probatur secundò ratione:

Dantur productiones substantiales univocæ; ergò una substantia producit aliam; patet: quia illa dicuntur productiones univocæ, quando causa aliqua sibi in natura producit similem effectum: probatur ergò consequentia, quia si non produceret, nec producere posset una substantia aliam, nullæ darentur productiones univocæ, sed &c. ergò: Probatur sequela ma. Accidens & substantia ad se invicem comparatæ non sunt univocæ; ergò nec actiones accidentis & substantia; probatur ant. plus differunt substantia & accidens, quàm una species substantia; viventis, ab alia specie substantia; viventis, sed duarum talium specierum actiones sunt æquivocæ, ergò: probatur ma. quia actio æquivoca esset, si bos generaret asinum & e contra; ergò à pari erit quoque æquivoca actio substantia; & accidentis.

Probatur Conclusio tertio:

Unum accidens potest producere aliud accidens; ergò etiam una substantia aliam ant. patet, quia calor producit alium calorem &c. probatur consequentia, quia tam similis & proportionata est una substantia alteri substantia; quàm unum accidens alteri; ergò tam bene substantia poterit producere substantiam, quàm accidens accidens, cum non videatur conceptibile, quomodo natura substantia; tribuisset perfectius esse, & non tribueret etiam operari, quod semper esse consequitur & potius videtur, quòd natura debuisset substantia; providisse de activitate, quàm accidenti.

Dico 2. Accidens non potest suâ potestate & virtute, tanquam causa principalis producere ullam substantiam. Hæc consequitur ex prioribus; &c

Probatur primò: Authoritate D.

Augustini lib. de immort. anim. cap. 8. ubi ait: *At si quod dicitur, factum est corpus, aliquo faciente factum est, nec eo inferiore, neq; enim esset potens ad dandum ei, quod faceret, quidquid illud est, quod est, quod id faciebat: sed accidens est multò inferius substantia; ergò nullum accidens, tanquam causa principalis, potest producere aliquam substantiam.*

Hhh 2 Probatur

IV.

V.

VI.

Accidens non potest producere substantiam.

VII.

Probatur secundò Ratione

Scoti: Nullum imperfectius potest producere perfectius, omnis substantia est perfectior accidente quocunque ejusdem ordinis & naturalitatis quoad entitatem; ergò nullum accidens potest producere aliquam substantiam, patet totum argumentum & major, de qua sola potest queri subterfugium, quàmvis de se videatur clara, attamen adhuc probatur tripliciter: Primò: Quia omnis causa debet in se virtualiter continere suum effectum, nullum imperfectius potest continere illud, quod est perfectius; ergò nullum imperfectius potest producere perfectius. Secundò: Nihil potest dare alteri, quod non habet, nullum imperfectius habet illud, quod est perfectius; ergò nullum imperfectius potest producere perfectius, cum producere aliud non sit, quàm dare & communicare alteri esse. Tertio: Si imperfectius posset producere perfectius, sequeretur, quòd protervius quicunque negare posset infinitam perfectionem in Deo, tanquam primà causà ex ratione causationis, quia imperfectius potest producere perfectius, imò dici posset, quòd totum hoc universum factum sit à musca, aut scarabæo, quæ omnia sunt absurda. Et hoc principium Scoti, ut ait Oviedo cont. 9. Phys. punct. 4. Magni est momenti, & nunquam satis solutum, ut fatetur alius quidam, quod inde patet, quia Adversarii per tam diversas responsiones ad angustiam redacti sunt. Nam

VIII.

Varie responsiones & imprimis Rubionis.

Rubion putat hoc principium esse tantum verum de causa ut quod, non verò ut quo, unde dicit imperfectius posse producere perfectius ut quo, licet non, ut quod; verum non evadit difficultatem, quia Causa ut quod in tantum causat, in quantum habet virtutem causandi, ita ut si non haberet virtutem talem, omninò causare non posset, seu, Causa in actu secundo ita causat, in quantum potens est in actu primo, sed actus primus est ratio causandi ut quo & non ut quod; ergò in tantum causabit in actu secundo, in quantum erat potens in actu primo; ergò etiam in actu primo, seu in ratione qua causandi debet esse causa perfectior suo effectui, vel saltem æque perfecta, cum operationes sint specierum, & non suppositorum, nisi veluti conditionum & ut quod principiantium.

IX.

Morifani.

Morifanus negat etiam principium hoc, & Scoti rationem esse universalem, sed alià viâ, quia dicit: Materia prima est causa compositi, sed materia prima est imperfectior, quàm sit compositum; ergò aliquod imperfectius potest producere perfectius. Hæc responsio negotium facessit Scotistis distinguentibus totum à suis partibus, unde dicunt, materiam esse causam intrinsecam compositi, principium autem illud currere de causa extrinseca, verum non videtur ratio, quare causa intrinseca posset esse imperfectior suo effectui, & non possit etiam esse extrinseca & dicere, hoc esse ideò, quia intrinseca non est causa adæquata, nihil est dicere, quia sic etiam dicam, causa extrinseca non est adæquata, & quemadmodum illi, præter intrinsecam, extrinsecam requirunt, ita etiam ergò dico, præter extrinsecam intrinsecam esse necessariam. Unde qui totum non distinguo à suis par-

tibus, cum Barone facilius respondeo, materiam non esse imperfectiorem composito, in quantum est unita, qualiter dicitur habere rationem causæ, licet sit imperfectior sejunctim, & non sub ratione causæ, unde materia & forma ut unita, non sunt causæ totius, sed ipsum totum.

Pererius dicit: Accidens esse quidem substantiâ imperfectius in entitate, sed non in activitate, unde ad argumentum concedit ma. & negat mi. Verum nec hic evadit, aut eludit argumentum, nam operari sequitur ad esse; ergò quò perfectius est esse, perfectius erit etiam operari. Deinde ipse adversarius non distinguunt virtutem agentis, five illud substantia sit, five accidens, nisi solâ ratione ab ipsa entitate, & non nisi formaliter; ergò accidens nequit esse nobilius in agendo, quàm in sua entitate, & consequenter dum concedit accidens in entitate esse imperfectius, concedit etiam implicitè illud esse imperfectius, in agendo, substantiâ. Denique

Communis Thomistarum evasio est.

accidens non posse producere substantiam in virtute propria, bene tamen in virtute aliena, unde volunt, quòd imperfectius possit producere perfectius in virtute aliena, accidens nempe substantiam in virtute substantiæ. Sed Contra primò, vel intelligunt Thomistæ accidens agere in virtute substantiæ, quòd ab ea accipiat aliquam virtutem, quâ mediante agere possit, vel quòd nihil accipiat? si hoc posterius dicunt, non subsistunt, si enim nihil accipit, non est ratio, quare dicatur agere potius in virtute substantiæ, quàm quantitatatis vel relationis, aut hircocervi: si primum? tunc de illo iterum quaero, illa virtus à substantia acquisita vel est substantia, vel accidens? si est substantia, tunc intentum habeo, quòd substantia immediate attingat aliam substantiam producendam: imò quâ ratione dicunt, quòd hæc substantia acquisita possit producere aliam substantiam, possum etiam adstruere primam substantiam aliam efficere posse, jam utrobique par sit ratio. Denique non est conceptibile, quomodò illa substantia possit in accidente recipi. Si verò virtus illa acquisita est accidens, non plus poterit præstare, quàm primum, quia æque erit minus perfectum, quàm sit substantia, unde gratis acquiri diceretur. Contra secundò: Multi dantur casus, ubi accidentia non possunt agere in virtute substantiæ, quæ tamen videntur substantiam producere, secundum Adversarios, nam in Eucharistia nulla est substantia, & tamen accidentia Eucharistica, secundum ipsos, possunt producere substantiam. Item in motu veloci sagittæ, & fricatione duorum lignorum producit ignis, & tamen tunc non est substantia ignis, in cujus virtute, motus & frictio, quæ accidentia sunt, producerent alium ignem. Sed contra hoc

Cajetanus dicit, accidens agere in virtute substantiæ, non quasi aliqua virtus fuisset derivata in accidens, sed ideò, quia ipsum accidens est virtus substantiæ. Sed reverà nihil dicit, quàm, quòd accidens agat in virtute accidentis, quòd dicitur virtus substantiæ, in quâ virtute producit etiam accidens aliud, & tamen tunc

tunc non dicitur agere in virtute substantiae, sed in virtute propria, si autem agit in virtute substantiae, aliquid debet à substantia accipere, alioquin gratis dicitur in ejus virtute agere.

III. Dices: Accidens nihil aliud accipere, quam, quòd fit cum tali vel tali substantia, nam, ut patet experientia, quando calor est cum igne, alium producit effectum & alium, quando est in vivente, hic nimirum concoctionem, ibi non. Sed nihil hoc obest, quia calor non facit efficienter concoctionem, sed tantum dispositivè. Quòd si tamen urgeas, quare calor hic disponat & non disponat ibi. Sed respondeo facile, hoc idè esse, quia calor animalis, & calor ignis sunt diversae speciei, quòd autem sint, probò breviter (quia de hoc agam in libris de generet: ex proposito) tum, quia, quae sunt ejusdem speciei, debent habere easdem operationes; tum, quia omnia accidentia specifica ita sequuntur speciem, ut non possint esse in alio individuo, quòd non esset ejusdem speciei, sed calor, qui est in igne & in animali, sunt in diversis specie individuis; ergò etiam ipse calor erit diversae speciei. Sed contra Concluf.

XIV. **Opponitur** Autoritas tum D. Augustini s. de Civit. cap. 9. ubi ait: *Corporea cae- se non debent inter efficientes connumerari*: tum Aristotelis de Sens. & Sens. cap. ubi docet, actiones esse inter contrarias qualitates, & ignem non agere, ut ignem, sed ut calidum. Sed R. & infero ex primo; ergò nec accidentia poterunt producere substantiam, cum etiam sint causae corporeae. Sed verius dico, D. Augustinum ibi agere de causis corporeis agentibus liberè, unde dicit, causas corporeas non debere inter efficientes liberè connumerari, id est, bruta & reliqua corpora naturalia. Ad Aristotelem R. cum loqui de actione contraria proprie dicta, unde ignis non agit, nisi ut calidus in frigus, & ad producendam calefactionem, ad ignitionem verò agit, ut ignis est & non ut calidus, nisi dispositivè.

Instatur: Semen non concurrat ad generationem animalis dispositivè, sed virtus feminis est accidens; ergò substantia non agunt per accidentia dispositivè tantum: ma. patet, quia semen efficienter producit ad minus corpus, vel formam corporis organici: Ad hanc instantiam & replicam multiplices solent adferri responsiones, verum respondeo negando mi. quia semen sive animalis, sive plantarum, probabiliter habet vim aliquam substantialem & in viviparis, quae sunt per commixtionem, non modo semen maris concurrat, verum etiam feminae, quae non modo organizationem, sed etiam animationem, (praeterquam in homine) attingit. Sed

Urgetur: Semen ab Aristotele 2. de An. t. 10. appellatur instrumentum, sed nullum instrumentum attingit immediatè terminum principalis agentis; ergò nec semen. R. Semen appellari instrumentum improprio modo, in quantum scilicet est res aliqua instituta à natura, ad supplendas vices generantis, non verò, quòd fit causa instrumentalis, cum reverà sit causa principalis, & substantialis secundum il-

las partes subtiliores, quae agunt postea in crafiores, est enim probabiliter ens aliquid heterogenum, quàmvis Scotus videatur etiam alibi docuisse, esse homogenum & consequenter non esse activum, hoc enim fecit ex mente aliorum, & non ex propria. Sed ex ratione in contra

Arguitur primò: Quidquid potest corrumpere substantiam, potest etiam eandem producere, sed accidens potest substantiam corrumpere; ergò potest etiam eam producere. Major patet, tum, quia unius corruptio, est generatio alterius, tum, quia eadem est causa substantiae corruptae, & substantiae genitae, ut potest demonstrari pluribus experientis: probatur mi. Quia calor ignis generantis corrumpit frigus ut octo in aqua, & producit calorem ut octo, sed calor ut octo est incompatibilis cum aqua, patet mi. tum, quia corrumpit omnes gradus frigoris, & consequenter ipsam aquam, quae connaturaliter existere nequit sine qualitate sua connaturali, tum, quia ubicunque est calor ut octo, ibi debet esse ignis, & consequenter non erit ibi aqua: probatur ergò ma. Calor ignis corrumpit alios gradus frigoris in aqua, sed isti gradus sunt omnes ejusdem rationis cum gradu octavo; ergò corrumpit etiam gradum octavum, quia agens potens in unum individuum ejusdem speciei, quoque potest in quolibet aliud. R. negando mi. cum probationis ma. cum suae probationis consequentia, ratio disparitatis est, quia, licet octavus gradus sit ejusdem rationis cum aliis ejusdem speciei, hic tamen non potest corrumpi, nisi à potente corrumpere substantiam, quia substantia aquae determinat aliquem gradum frigoris sine quo nequit connaturaliter existere, qui à nullo accidente corrumpi potest, nam cum substantia aquae sit perfectior calore, fortius agit conservando seipsam, & qualitatem sibi connaturaliter necessariam, quam accidentia agant corrumpendo, & sic quamdiu substantia aquae conservat sua accidentia, non possunt à debiliori agente corrumpi.

Instatur primò: Hinc sequeretur, quòd si ignis posset sine isto gradu conservari, posset & produci, & consequenter posset produci sine calore in summo, sed hoc est inconveniens, ergò. R. negando sequelam ma. Quia aliquando plus requiritur ad productionem, quam ad conservationem, requiritur etenim existentia causae producentis, vel generantis ad productionem filii, non tamen ad conservationem.

Instatur secundò: Si ratio supra data valeret, probaret, quòd calor nullum omnino gradum frigoris corrumpere, sed hoc est contra experientiam, ergò: probatur ma quia substantia est fortior in conservando quemlibet gradum frigoris, quam calor in destruendo. R. negando sequelam ma. cum sua probatione. Ratio autem, quare substantia fortius agat in conservando octavum gradum, quam alios, haec est, quia substantia aquae ex natura sua non exigit conservare omnes gradus qualitatis connaturalis, sed solum illum gradum, sine quo nequit existere, imò ex natura sua est capax ali-

XV.
Argumentum ex ratione primò.

XV

cujus gradus contrarii, cum sit substantia, quæ est capax contrariorum, & proinde accidens fortius agit istos gradus corrumpendo, quam substantia aquæ conservando, cum non sibi determinaverit hos gradus, sed octavum.

Urgetur: Si octavus gradus frigoris non corrumpitur à calore, non potest ostendi, à quo corrumpatur; ergo debet corrumpi à calore: probatur ant. non à substantia ignis, quia frigus non dependet ab illa in ullo genere causæ, & ipsi non contrariatur, substantia enim non habet contrarium. R. dist. ant. non potest ostendi, à quo directe corrumpatur, transeat ant. à quo consequutivè corrumpatur, nego ant. & consequentiam. Itaque octavus gradus frigoris corrumpitur ex eo, quod per substantiam ignis corrumpatur aqua immediatè, quia tunc desinit habere subjectum, sine quo connaturalitèr conservari nequit, sed quasi ad idem

XVI.
Secundum.

Arguitur secundò: Si accidens non posset corrumpere substantiam, sequeretur, quod si calor, qui est in toto mundo, applicaretur ad unicam guttam aquæ, quod eam non posset corrumpere, neque octavum gradum frigoris ejus, sed hoc non videtur credibile & conceptibile, ergo. R. concedendo ma. & negando mi. Ratio est, quia accidentia non possunt corrumpere illam guttam, nisi introducendo aliam formam substantialem in materiam ejus, quæ connaturalitèr nequit esse sine omni forma substantiali, unde, ut prior expellatur, nova pro aliquo priori debet introduci, quare postquam à substantia ignis introducatur nova forma, destruitur & aqua, & octavus gradus frigoris.

Instatur: Ponatur casus, quod calor ille applicetur tui guttæ aquæ, sine substantia ignis, in illo casu non est credibile, quod non posset destruere & aquam, & octavum gradum, cum sit multò majoris activitatis, quam ille unicus gradus, ergo. R. quod in tali casu illa gutta corrumpetur vel à cælo, vel à Deo aliisq; causis universalioribus, neque hoc est mirum, quia Deus, tanquam causa universalissima, supplet omnem defectum causæ secundæ deficientis, maxime quando in passio ponuntur tales dispositiones, ad quas connaturalitèr nata est sequi aliqua forma substantialis, prout contingeret in casu, ubi ad intensum calorem deberet sequi forma ignis.

Urgetur: Si poneretur frigus ut octo in quantitate aliqua separata à substantia, tunc posset calor illud destruere, secundum omnes gradus; ergo potest etiam illud corrumpere, quando est substantiæ aquæ conjunctum, sed si corrumpet illum ultimum gradum, deberet etiam desinere substantia; ergo eam quoque corrumpet. R. negando consequentiam; disparitas est, quia dum frigus est separatum à substantia aquæ, tunc nullum est fortius agens impeditivum corruptionis, quam sit calor corrumpens, quia nullum est subjectum, quod vel activum esset, vel cui connaturalitèr talis gradus frigoris deberetur, & consequenter tunc calor, utpotè magis activus destrueret ipsum frigus, quando autem est cum substantia conjunctum,

tunc substantia est fortior in conservando octavum gradum, quam calor corrumpendo.

Dico 3. Nullum accidens potest producere substantiam, neq; tanquam causa partialis. Hæc est etiam Authorum supra. Et

Probatur primò: Tum, quia nulla ratio suadet oppositum, tum, quia nulla necessitas urget tribuendi accidenti activitatem, respectu substantiæ, quando substantia adest; ergo nullum accidens producit substantiam, nec partialitèr quidem; nec juvat paritas de intellectu, qui cum qualitate materiali concurret ad productionem intellectus, cum tamen illa qualitas sit intellectione imperfectior, non juvat, inquam, quia ratio disparitatis est ex eo, quod intellectus ex se sit indeterminatus, non sic autem est substantia.

Probatur secundò: Quia omnis causa etiam partialis in virtute sua, saltem partialitèr, debent continere suum effectum, sed accidens nullo modo continet in se substantiam, ergo: ma. patet: probatur mi. quia accidens in virtute sua non continet nisi accidens, ergo: probatur ant. quia si in virtute sua contineret substantiam, posset eam virtute sua propriâ producere, & sic posset etiam eam producere, quando est à substantia separatam, quod tamen adversarii non admittunt.

Probatur tertio: Si accidens posset partialitèr producere substantiam, deberet eam producere cum substantia, quando illa agit, sed tunc nequit eam producere, ergo: ma. patet mi. prob. Ita se habent causæ secundæ in operari, quemadmodum se habent in esse, sed substantia in esse, prior est, quam accidens; ergo est etiam prior in operari, & consequenter accidens nullo modo operabitur, quia cum effectus in unico instanti producatur, quando accidens accipit esse, tunc jam substantia operabitur, & consequenter accidens nihil producat.

Dices: Sicut se habet substantia creata ad esse, ita se habet ad operari, sed esse connaturalitèr nequit sine accidentibus; ergo neque operari poterit. R. dist. non potest esse sine accidentibus, tanquam rationibus formalibus constitutivis, nego mi. tanquam conditionibus, & dispositionibus necessariis requisitis, concedo mi. & similiter dist. consequens, non potest operari sine illis, tanquam causis productivis, nego consequentiam, tanquam dispositionibus necessariis præviis, concedo consequentiam. Itaque accidentia non sunt quidem data substantiæ purè ad ornamentum ejus, sed etiam ad producendas dispositiones, quare, licet qualibet substantia sit determinata ex se, ad producendam talem substantiam, verbi grati ignis ignem, tamen non incongruè dicitur, quod determinetur per accidentia, tanquam per dispositiones.

QUÆSTIO V.

An Substantia sit immediatè productiva accidentium?

Quemadmodum in superiori questione questione examinatum fuit, an substantia producat substantiam.

substantiam immediatè, an verò eam producant accidentia, ita hic e contra queritur, an substantia producat accidentia, an accidens ita producat accidens, ut illud substantia non possit frangere. Questio verò dupliciter moveri potest, primò, an substantia sit productiva accidentium in se ipsa? secundò, an sit productiva eorum in subiecto alieno? Quoad primum, Thomistæ negant, substantiam in se ipsa posse producere aliquid accidens, sed cuiuslibet accidentis productionem attribuendam esse accidenti, putant enim substantiam in creatis nihil operari. Circa secundum putant nonnulli Recentiores cum Scotistis quibusdam, substantiam, quæ potest actione immanenti in se producere accidentia, posse eadem producere quoque in alieno subiecto, seu transeuntèr. Ita Maltrius, Hurradus, Arriaga & plures alii. Sed ad primum progrediendo

Dico 1. Substantia ex sua ratione habet virtutem productivam accidentis immediatam & intrinsecam in se ipsa. Hæc est Doct. in 2. d. 16. & in 4. d. 12. q. 3. quam probat Doctor ex 7. Met. t. 31. & 32. ubi Aristoteles ait: *Ceterum ex his propriam substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, ut puta animal, si animal sit, quale verò, aut quantum non est necesse (ut præexistat scilicet) nisi potentia solum*: ergò aliquid, quod non est quantum vel quale, potest producere quantum vel quale; ergò substantia id poterit, cum hæc de se ex ratione formali nec quanta sit, nec qualis. Hæc autoritas non solum præsentem conclusionem benè probat, verum etiam præteritam questionem optimè confirmat, dum asserit, ut substantia esse accipiat, necesse sit substantiam præexistere. Sed

Probatur Conclusio ratione ab experientia, quæ, licet communis sit, est tamen bona, quia videlicet videmus aquam calefactam se reducere ad pristinum frigus, sed non per aliquid accidens; ergò per substantiam; probatur min. si esset aliquid accidens, maxime esset gradus ille frigoris, qui, ex superioribus dictis, dicitur remanere cum aqua, vel aliquid aliud, sed neutrum est, ergò: ma. est communior, probatur minor, non aliquid aliud à gradu frigoris, quia tale non est assignabile, & recurrere ad occultam qualitatem non valet, cum enim occulta sit, adferri nequit, tanquam manifesta & vera determinata causa: nec etiam ille prior gradus frigoris remanens, quia ille gradus deberet intendere seipsum, nec simile agit in simile, imò remissius, & minus perfectum non potest producere magis perfectum, sed ista omnia sequerentur, si ille gradus remanens produceret reliquos, ergò: probatur min. primò, quia se intendet ex eo, quod acquireret plures gradus, secundò ultimus gradus ageret in proximum, qui est similis ultimo, denique magis perfectum est frigus ut sex vel octo, quam ut unum, saltem perfectione extrinsecâ; ergò ille ultimus gradus remanens non potest producere reliquos gradus frigoris. Toletus recurrit ad aërem circumstantem, sed gratis, nam aër frequentèr est tepidus, & tamen aqua reducit se ad frigus, quod aquæ in summo competit, non aëri, ut

infra dicitur, adeoq; nequit aër producere illud frigus, alioquin daret, quod non haberet.

Dices: Accidentia Eucharistica se reducant ad pristinum frigus, verbi gratiâ, species vini consecrata calefactæ, si sibi relinquuntur, sensim iterum frigesunt; ergò ex eo, quod aqua reducat se ad pristinum frigus, non provenit à substantia aquæ, alioquin ubicunque fieret talis reductio, deberet dici, quod ibi sit substantia, quod repugnat fidei in Eucharistiæ sacramento. Sed 3. In Eucharistia illam reductionem fieri à Deo, vi prioris miraculi supplente omnem defectum substantiæ, ad celandum tantum mysterium, quod etiam contingit in corruptione specierum, ubi Deus materiam novam vel antiquam reproductit. Sed

Probatur Conclusio secundò: Intellectio & volitio sunt vera accidentia, imò reliquis perfectiora, sed intellectus & voluntas, quæ sunt substantiæ, realitèr eas producunt; ergò substantia potest producere in seipsa aliqua accidentia.

Probatur tertio. Substantia concurrat materialitèr ad productionem quantitatis, & aliorum accidentium sibi connaturalium; ergò etiam potest concurrere efficientèr, probatur consequentia, quia non minor requiritur virtus ad influendum materialitèr, quam ad influendum efficientèr, sed materialitèr influere potest; ergò etiam efficientèr. Hinc infero substantias producere in seipsis in primo instanti, quo producuntur, qualitates suas connaturales (quæ emanare dicuntur, quæ emanatio non impedit veram actionem Physicam, cum illæ qualitates realitèr distinguuntur, licet impediatur in illis, quæ non sic distinguuntur) si enim habent virtutem productivam earum, debet illis potius adscribi productio, quam aliis causis. Nec obstat, quod generanti id communiter adscribatur, quia hoc tantum verum est de productione mediata, non verò de productione immediata, id est, quatenus ab ipso generante substantia producit, à quâ in eodem instanti producuntur illa accidentia.

Dico 2. Substantiæ aliqua possunt producere accidentia in alieno subiecto. Ita Doctor 2. d. 9. q. 92. n. 15. Hurrado, Arriaga & plures alii.

Probatur Conclusio primò, Autoritate & ratione Scoti proximè citati, ubi hæc habet: *Quod sufficientèr est in actu primo, respectu alicujus effectus, potest illum causare in receptivo proportionato approximato, sed aliqua substantiæ sunt in actu primo, respectu aliquorum effectuum*; ergò possunt illos producere in quocunque subiecto proportionato: probatur min. quia sol, piper, vinum &c. causant calorem, sed non per alium calorem; ergò per seipsa, probatur min. tum, quia sol &c. non est formalitèr calidus; tum quia non est assignabilis alia aliqua qualitas, ergò.

Probatur secundò, possunt substantiæ producere aliqua accidentia in se & immanentèr, ergò etiam transeuntèr & in alieno subiecto: probatur consequentia, quia nec est disparitas ex parte agentis, nec ex parte termini produ-

II.

III.

IV.

Substantiæ possunt producere accidentia in alieno subiecto.

producti, quia actio transiens tam perfecta est, ac immanens & e contra, & calor, verbi gratia, productus in se, vel in alieno subiecto. Verum quidquid sit de hac re

V.
*Accidentia
similia pro-
ducuntur ab
accidentibus.*

Dico 3. *Accidentia similia accidentibus substantiæ operantur non producuntur immediate ab ipsa substantia, sed ab accidentibus illius.* Hæc est etiam communis inter Scotistas & Neotericos: &

Probatur primò: Illa debet alicujus effectus dici immediata & vera causa, quæ effectui est magis proportionata, sed illa accidentia similia sunt magis proportionata accidentibus, quam substantiæ; ergò illa debent dici causa: ma. patet, probatur mi. quia similia sunt sibi magis proportionata quam dissimilia, sed illa sunt similia, ergò. Confirmatur hæc ratio, quia natura, & quæcumque causa semper intendit sibi assimilare effectum.

VI.

Probatur secundo: Illa debet assignari alicujus effectus vera & immediata causa, quæ eundem ubique æqualiter producit, sed calor, verbi gratia, ignis & frigus aquæ, calorem & frigus æqualiter producit independentèr à subiecto cui insunt; ergò illa accidentia sunt productiva aliorum similibus: probatur mi. quia calor sive sit in ferro, lapide & aqua, semper calefacit & calorem producit, tam benè, ac quando est in igne, sed in ferro, aqua, lapide &c. non concurrunt ipsa substantia lapidis, aquæ &c. ergò producit independentèr à subiecto, cui inest: probatur mi. quia lapis, & aqua nullam habent vim & virtutem calefaciendi.

VII.

Probatur tertio: Si subiectum accidentium produceret, aut concurreret ad productionem accidentium, sequeretur, quòd aqua summè calefacta posset, imò frigefaceret, sed hoc est contra manifestam experientiam; ergò substantia non concurrat ad productionem similibus accidentium, quæ in ipsa sunt: probatur sequela ma. tunc potest produci frigus, quando adest ejus legitima causa productiva, sed in aqua summè calefacta adest causa legitima productiva frigoris, nempe ipsa aqua; ergò aqua poterit illud producere, imò debebit & necessitabitur ad ejus productionem, cum sit causa connaturaliter agens.

QUÆSTIO VI.

An causa efficiens creata possit elevari ad producendos effectus supra naturam? seu, an detur Potentia Obedientialis tam activa, quam passiva?

I.
Varie controversia.

Plurimæ & maximæ sunt circa presentem quæstionem controversiæ, quæ potissimum oriuntur ex ambiguitate & difficultate quæstionis de nomine, nam aliqui dicunt potentiam obedientialem, non esse aliud, quam non repugnantiam creaturæ ad obediendum Creatori: verum hic loquendi modus planè non subsistit, si illa non repugnantia pro formali accipiatur, nam quemadmodum omnis potentia dicit aliquam virtutem, ita etiam obedientialis dicere debet, omnis enim ratio generica specie-

bus convenire debet. Alii dicunt Potentiam obedientialem esse qualitatem infusam, Attamen nec hoc valere potest, quia sicut creatura immediate recipit illam qualitatem infusam & supernaturalem, ita etiam immediate actus vel habitus supernaturales recipere potest, qui elevent ad operandum obedientialiter, & consequenter potentia obedientialis non consistit in tali qualitate, vel dabitur processus in infinitum, quia ad illam qualitatem iterum debebit dari alia, & ad illam alteram tertia & sic deinceps. Alii aliter loquuntur. Verum tamen ad rem ipsam explicandam moveo manum: Unde ad tollendam omnem æquivocationem

Notandum: Per Potentiam obedientialem me aliud non velle intelligere, quam virtutem aliquam inchoatam & partialem in creatura ad agendum vel patiendum, ita ut nequeat compleri in ratione causæ ab aliquo agente creato, sed tantum ab increato concurrente cum illa creatura, non quomodocunque, seu cum concursu generali, quem Deus, vel author naturæ, præstat omnibus rebus creatis, sed speciali, qui ex ratione & natura sua creaturæ est indebitus, ita tamen, ut creatura cum illo concursu non habeat rationem præciæ causæ instrumentalis, sed principalis suo modo, nam de ratione instrumenti est, ut non attingat terminum principalis agentis, quem si adhuc attingeret, non facit propriam virtutem, potentia autem obedientialis debet propriam virtutem, saltem inchoatam attingere terminum principalem, nam effectus, quem illa potest attingere, debet habere cum illo, quem naturaliter attingit, saltem aliquam proportionem, analogiam & similitudinem, ut non differant plus, quam perfectum ab imperfecto, vel minus perfectum, idque vel intra eandem speciem, vel si alterius speciei & altioris ordinis, habeat tamen aliquem ordinem ad causam productivam, ut non petat ab alia causa produci, Exemplum primi est in Beatissima semperq; Virgine Maria, quæ, licet supernaturaliter conceperit Christum, qui verus homo est, habebat tamen potentiam naturalem ad concipiendum: Exemplum secundi est in cognitione abstractiva & intuitiva Dei, prima est naturalis, altera supernaturalis, adhuc tamen habent talem ordinem, analogiam & proportionem ad intellectum, ut non petant ab alia causa produci; hinc patet, non sufficere quancunque convenientiam in genere vel specie, alioquin ignis posset producere aquam & calor frigus, quia hæc conveniunt in proximo genere tangibilis qualitatis, quare vel debet effectus supernaturalis respicere talem causam, vel in substantia esse ejusdem speciei cum naturali, licet in modo sit supernaturalis.

Hoc prænotato Circa presentem quæstionem triplex solennis est sententia: Prima est communior Thomistarum, qui adstruunt in creaturis nullam dari potentiam huiusmodi obedientialem, ita ut etiam Cartægia dicat disp. 3. de Sacram. diff. 2. cap. 7. Nec inter veteres, nec inter Recentiores Scriptores, uno Suario excepto, reperiri, qui hanc potentiam admittant. Ast dura est ista censura, nam post Suarium, Hurtadus, Arriaga, Comptonius, & plie-

& plurimi alii Recentiores, imò potiori ex parte non modò potentiam obedientialem passivam, per quam quodlibet potest elevari ad quodlibet, in se suscipiendum & sustentandum, sed etiam activam, per quam quodlibet ad quodlibet producendum elevari potest, admittunt. Tertia sententia est media, quæ potentiam obedientialem non modò passivam, verum etiam activam admittit, non tamen in qualibet re ad quodlibet producendum, sed tantum aliquos effectus, qui cum causa aliquam proportionem habent, ut supra dixi. Ita Morisani, Coning, Turrianus, Mastrius & plures alii tam Scottici, quam Neoterici, quæ sententia omnium est probabilior, unde etiam amplectenda. Itaque

IV. Dico I.

Dico I. Datur potentia obedientialis passiva in qualibet re ad quamlibet formam, quæ non dicitur actuali, & essentiali dependentiam ad determinatum subiectum. Hæc est communis &

Probatur: Quia non videtur esse major improprio alicujus subiecti ad aliquam formam, quam naturæ humanæ ad unionem hypostaticam, sed in natura humana est talis potentia obedientialis, ut est de fide; ergò in qualibet re erit; dixi: *Quæ non dicit essentiali & actuali dependentiam ad determinatum subiectum*, propter relationes, quæ ad sua subiecta essentiali ordinem dicunt, ut nec divinitus unum subiectum alterius subiecti possit recipere relationes. Item species intentionales, quæ non nisi à determinato objecto sunt producibiles, alioquin posset albedo A, producere speciem albedinis B, & sic albedo B videretur ab oculo & non videretur; videretur quidem, quia sua species concurreret ad producendam visionem, non videretur quoque, quia nullam produxisset sui speciem. Sed

V. Opponitur

Opponitur Autoritas Doctoris subtilis 4. d. 1. q. 3. ubi ait, spirituale non posse recipi in corporeo: & alibi dicit, lapidem non posse recipere sapientiam, nec angelum albedinem. Sed R. Doctorem in primo loco intelligendum, quòd spirituale nequeat recipi in corporeo, modo extenso & divisibili, bene tamen indivisibiliter, ut patet de anima Rationali. Quantum ad secundum, Doctor tantum dicit, quòd albedo non possit recipi in Angelo, sic, ut denominet Angelum album, nec sapientia in lapide, sic, ut lapidem denominet sapientem, & ratio est, quia albedo non denominat subiectum, nisi extensum, nec sapientia subiectum, nisi illud sit potens sapienter agere.

VI. Dico 2.

Dico 2. In homine & angelo datur potentia obedientialis activa ad diversos effectus supernaturales producendos. Hæc est conformiter ad tertiam sententiam, & eam utique indubitanter tenent Authores primæ sententiæ.

Probatur Conclusio primò: Autoritate Sanctorum nostrorum Doctorum Augustini lib. 10. Civit. cap. 12. *Quæcumq; miracula sive per Angelos, sive quocumq; modo ita divinitus sunt, ut Dei unius cultum, religionemq; com-*
F. Amandi Hermann Physica.

mendent, ea verè ab eis vel per eos, qui nos secundum veritatem, pietatemq; diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante, credendum est. D. Bernardi lib. 7. de confid. cap. 7. ubi postquam cap. 4. multa de celestibus spiritibus mellitè scripsisset, omnes gratias & operationes in Deum benignissimum refundit, tanquam in Authorem & gratiarum Datorem, nam ipse ita inquit: *Ardent Seraphim, sed igne Dei, vel potius igne Deo, quod præcipuum in eis inest; Amant, sed non quantum Deum, nec quomodo. Lucent Cherubim & scientiæ eminent, sed participio veritatis, ac per hoc non veritas, nec quantum. Sedent Throni, sed insidentis beneficio. Dominantur dominationes, sed sub dominio dominantur & servantur pariter. Quid hoc ad summum, sempiternum singulareq; dominium: Præsunt Principatus & regunt, sed reguntur & ipsi, ita ut regere jam non norint, si regi deservint. Præcellunt in potestatibus fortitudo, sed cui debent, quòd fortes sunt, & aliter est fortis & plus, nec tam fortis, quam ipsa fortitudo est. Virtutes pro suo ministerio & potentatu satagunt excitare corda torpentia hominum innovatione signorum, Virtus verò in eis manens ipsa facit opera, facium & ille, sed in comparatione ejus non facium. Deniq; tantum interest, ut quasi singularitè Propheta dicat ad eum, Tu es Deus, qui facis mirabilia & idem de eo: Qui facit mirabilia magna solus. Viden', quàm exactè tribuat Mal-leus Doctor virtutem operandi diversos effectus supernaturales Angelis, quos tamen sine concursu speciali facere & elicere non posse, clarè asserit, ut patet dum agit de virtutibus, ubi etiam docet, non modò, ut instrumenta agere, sed etiam ipsas principalitè agere, quàmvis non ita, sicuti DEUS, ut nihil desit, nisi dicere, hæc fieri per potentiam obedientialem.*

Probatur item autoritate Doctoris subtilis, qui clarè docet, beatissimam Virginem habuisse potentiam innatam, quæ potuit concurrere ad generationem Filii, eam tamen fuisse elevatam, ut potuerit concurrere, cooperante Spiritu Sancto, ad formationem corporis instantaneam, quod vires naturales excessit. Verba ejus in 3. d. 4. q. un. L. E. hæc sunt: *Sicut igitur Natura, ad quam, ut ad formalem terminum, erat ista generatio, tantum erat in potentia obedientiali, ut uniretur verbo, ita illa Mater tantum habuit potentiam obedientialem, ut esset Mater verbi.* Et sub Lit. G. ait: *Propter istam potentiam activam naturalem, quæ operabatur, potest dici naturalis Mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum hujus potentie duplicem non naturalem, potest dici non naturalitè, sed miraculosè genuisse.*

Probatur Conclusio secundò VII.

Ratione: Quia tam Angeli in statu viæ, quam homines elicerunt, & eliciunt actus fidei, spei & charitatis, ut docent Sancti Patres, & est de fide, sed ad illos eliciendos tam voluntas, quàm intellectus angelicus & humanus, ex se, est improporcionatus; ergò non possunt connaturali virtute elicere, & consequentèr habent potentiam obedientialem, ma. est certa: probatur mi.

quia illi actus sunt supernaturales in substantia; ergo ad illos eliciendos sunt improporcionati.

VIII.

Dices: Potentias Angelicas & humanas non elicere illos actus, nec immediatè ad eliciendos illos concurrere, sed produci à solis habitibus supernaturalibus. Ita respondent Thomista. Sed Contra primò: Si habitus supernaturales tantummodo sine concursu, & activitate potentiarum producerent illos actus, sequeretur, quòd intellectus & voluntas non plùs concurrerent ad eos producendos, quàm aqua cum calore ad producendum alium calorem, sed hoc est inconvenientissimum, ergo: probatur sequela, quia sicut calor est tota ratio producendi calorem, sic etiam essent habitus, & sic quemadmodum non nisi denominativè producit calorem, ita etiam sic produceret suos actus intellectus & voluntas, & consequenter nihil agerent, sicut aqua nihil agit. Probatur etiam min. ex Concilio Tridentino Sess. 6. Can. 4. anathematizantis eos, qui negant voluntati ad actus meritorios activitatem his verbis: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, veluti inane quoddam nihil omninò agere, mereq; passivè se habere, anathematizatus sit.* Contra secundo: Si voluntas & intellectus nihil omninò ageret, sequeretur, quòd si habitus illi, qui dicuntur cause totales, & solè actuum supernaturalium, conservarentur extra animam vel angelum, quòd possent actus supernaturales producere, sed hoc est inconvenientissimum, ergo: probatur sequela. Calor separatus ab igne, & conservatus absque omni subiecto, posset producere alium calorem, sicut defacto produciunt accidentia Eucharistica qualitates consimiles; ergo etiam habitus illi possent producere actus supernaturales, ab omni moda paritate rationis. Nec refert, quòd uniantur cum voluntate, quia uno illa non sufficit, ut dicatur habitus operari liberè. Contra tertio: Illa potentia verè & realitèr concurrat proprià virtute ad producendum aliquem effectum, cui correspondet aliqua formalitas in effectu, sed actibus fidei, spei & charitatis, correspondent formalitates, quæ non correspondent habitibus; ergo etiam verè, & realitèr proprià virtute concurrunt; probatur mi. quia illi actus sunt vitales, habitus non sunt vitales, actus charitatis sunt liberi, habitus charitatis non sunt liberi, quia non sunt indifferentes ad agendum vel non agendum, quia habitus ille ex se non potest se pro libitu determinare.

IX.

Instabis: Si intellectus concurreret proprià virtute ad illos habitus eliciendos, sequeretur, quòd homo & angelus naturalitèr Deum videret; imò, quòd beata Virgo naturalitèr verbum Divinum concepisset, sed hæc dici nequeunt, ergo: probatur sequela. Quia ille concursus, quo Deus concurrat ad visionem beatificam, & conceptionem cum beata Virgine, effect non minus naturalis & debitus ex lege communi, sicut illa virtus activa esset naturalis: ergo. R. negando sequelam cum sua probatione, quia cum visio beatifica sit actus supernaturalis in substantia, etiam requirit ali-

quem concursum supernaturalem. Ad id, quod de beata Virgine dicitur, concedo esse virtutem naturalem Virginis in concipiendo, quantum ad substantiam actus, non verò quantum ad modum, qui fuit miraculosus, adeoque etiam requirebatur concursus extraordinarius.

Urgebis: Hinc sequeretur illam potentiam esse naturalem & supernaturalem simul, sed hoc implicat, ergo: probatur sequela: Effectus naturalis, quia innata Virgini; supernaturalis verò, quia modo supernaturali concurreret. R. dist. ma. sub eadem ratione, nego: secundum diversam, concedo. Itaq; illa potentia esset naturalis intrinsecè, extrinsecè verò esset supernaturalis, sic etiam anima est intrinsecè naturalitèr receptiva gratiæ, recipiens verò extrinsecè, propter supernaturalitatem gratiæ adnexam.

Arguitur: Contra Conclusionem principalitèr, probando, nullam dari potentiam obedientialem in intellectu. Nulla potentia potest elevari ad actus supra se & superiores se producendos; ergo nec in homine, nec in angelo datur potentia obedientialis: probatur ant. Nulla potentia materialis potest elevari ad producendum actum spirituales; ergo nulla potentia intellectualis ad producendum actum supernaturalem: probatur consequentia, plùs differunt Potentia naturalis, & Actus supernaturalis, quàm potentia materialis & actus spiritualis, quia sunt diverforum magis generum, sed potentia materialis non potest producere actum spirituales; ergo nec potentia naturalis actum supernaturalem, sed R. negando aut. cum conseq. prob. & paritate, quia intellectus habet virtutem, saltem incompletam & inadæquatam, ad attingendos illos actus, potentia autem materialis nullo modo habet inchoatum principium ad actus spirituales eliciendos, adeoq; non potest illos elicere, unde illi actus non dicuntur extra latitudinem objecti adæquati esse, sed tantum extra latitudinem objecti naturalis attingentiæ, ideoq; per supernaturale comprincipium elevari & adjuvari potest. Sed

Instatur: Illa potentia obedientialis inchoata, dum completur ad actum supernaturalem producendum, vel aliquid superadditur ipsi vel nihil, si hoc; ergo modo non erit magis potens, quàm antè fuit: si primum, tunc ad illud aliud superadditum iterum aliud superadditum dari debet in infinitum, quod semper cavendum est. R. Illam potentiam intrinsecè non compleri per aliquod superadditum, sed tantum extrinsecè in quantum videlicet habitus, vel aliud auxilium supernaturale concurrat ad producendos illos actus.

Urgetur: Si nihil additur, preter auxilium & particularem concursum DEI, sequitur, illum concursum non esse supernaturalem, sed connaturalitèr ei debitum, sed hoc dicendo tollitur suppositum de potentia obedientiali, ergo: probatur sequela: Quia omnis potentia ex natura existit, quòd

quod ad actus quos producere potest, ei communicetur sufficiens auxilium; ergo illi erit debitum. &c. negando sequelam, cujus probationis ma. dist. Omnis potentia exigit sibi conaturaliter auxilium & particularem concursus, si potentia sit adaequata & completa, concedo, si sit inchoata tantum & incompleta, nego ma. Itaque verum quidem est, quod auxilium potentiae completae & totaliter dispositae, ac esse sufficienti, ad producendos aliquos effectus, debeatur, non tamen incompletae. Nec refert, quod habeat tam bene inclinationem ad illos actus, quam ad eos, quos potest elicere, ut potentia completa, quia non statim est ei debitus concursus ex eo praecise, quod habeat inclinationem, quia habet etiam intellectus inclinationem ad beatitudinem; nec tamen ex communi lege debetur ei concursus ad beatitudinem habendam.

musca posse producere gratiam sanctificantem, sed hanc nequit producere; ergo quodlibet non potest elevari ad quolibet producendum: probatur mi. Nulla res potest attingere terminum creationis, sed gratia sanctificans est terminus creationis; ergo musca eam nequit producere. Similiter deberet posse homo elevari ad faciendum veram transsubstantiationem, quod tamen omnes Theologi in quarto negant, & plura alia similia. Ex quibus

Probatur eadem pars quarto.

Si quodlibet posset elevari ad quodlibet producendum, sequeretur, brutum posse intelligere & velle, lapidem ratiocinari, accipere beatitudinem, frui DEO, oculum audire, aurem videre &c. sed haec omnia sunt contra ipsos adversarios; ergo: quia si quodlibet potest elevari ad quodlibet producendum, poterunt etiam enumerata, cum sint aliqua ex quibuslibet.

Dices: Ut possit elevari quodlibet ad

XIII.

producendum quodlibet, debere esse proportionem aliquam, inter causam & effectum, quae in proposito casu enumeratorum non est. Sed Contra, licet inter recensita non sit proportio naturaliter, poterit tamen esse proportio supernaturaliter, quemadmodum est inter frigus & calorem.

Dices: Disparitatem esse, quia Deus potest

supplere concursus extrinsecum cause efficientis, non vero cause formalis. Sed Contra: Quando produceret brutum intellectum, vel tunc Deus supplet totaliter causalitatem cause efficientis illam intellectum, vel tantum partialiter; si totaliter, ergo brutum tunc mere passivè se tantum haberet; si partialiter, ergo brutum habet naturaliter virtutem producendi intellectum saltem partialiter, sicut intellectus habet virtutem producendi visionem beatificam, & consequenter sicut intellectus elevatus ad producendam visionem beatificam denominatur beatus ex sola illa productione, ita etiam brutum ex productione intellectus deberet dici intelligens. Sed

Opponitur Autoritas Magni Divi

XIV.

Augustini lib. 5. de Gen. ad Litteram cap. 17. ubi, postquam rerum naturalium vim descripsisset, ait: Super hunc autem motum, cursumque rerum naturalem potestas Creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quam earum seminales rationes habent; non tamen id, quod in eis posuit, ut de his fieri vel absq. alio possit: in quibus verbis clarè docet, naturam creatam posse elevari ad effectus producendos, quos secundum suam rationem formalem producere nequeunt. Verum tamen R. Sanctum & magnum nostrum Doctorem per hoc non velle, quod creatura possit producere effectus, quos ex natura sua non erat incompletè & inchoatè potis producere, sed tantum tales, quos ex natura nobis nota non videbatur posse producere, unde illam virtutem & potentiam inchoatam, semen occultum vocat, non quòd

Opponitur & explicatur D. Augustinum.

iii 2 nullum

XI.

Dico 3. Datur etiam in aliis rebus potentia obediens actui, non tamen in qualibet re ad quodlibet producendum. Ita Authores pro tertia sententia cit.

Probatur prima pars: Autoritate D. Bernardi, in Cant. Serm. 35. ubi expendens illa verba Marci 14. Melius est fuerat, si natus non fuisset homo ille, ait, non utiq. si natus non fuisset omnino, sed si natus non fuisset homo, sed verbi gratia, aut pecus, aut alia quæpiam creatura, quæ quoniam iudicium non haberet, ad iudicium non veniret, ac per hoc nec ad supplicium. Ergo ex mente D. Bernardi poterant elevari parentes illi, ut ex ipsis nasceretur pecus, aut alia creatura, & consequenter datur potentia obediens actui. Ex hinc desumo argumentum à ratione, &

Probo Conclusionem secundò.

Datur potentia obediens actui in homine, & angelo ad varios actus supernaturales eliciendos; ergo etiam datur in aliis rebus: probatur consequentia, quia sicut angelus, & homo possunt elicere actus, qui habent proportionem, analogiam & similitudinem, ad eos, quos naturaliter elicere valent, respectu quorum sunt veluti potentia incompleta, ita etiam aliae res habent analogiam ad plures actus, respectu quorum possunt esse potentia incompleta: ergo.

Probatur tertia pars: Autoritate

Doctoms subtilis 4. d. 1. q. 1. §. ad quaestionem, ubi ait: Esi enim absolute Deus possit creare frigus non tamen per calorem; ita quod calor sit causa activa in aliquo ordine, respectu frigoris.

XII.

Probatur secundò ratione:

Unum contrarium nequit per potentiam obediens actui elevari ad producendum aliud contrarium, ut frigus ad producendum calorem; ergo non datur potentia obediens actui in qualibet re ad quodlibet producendum: probatur aut. Nulla essentia habet ex natura sua intrinseca potentiam ad destruendum se, quia illa potentia deberet emanare ab eius essentia, & illi ex natura sua competere, quod implicat, cum qualibet res appetat sui conservationem, non vero destructionem.

Probatur tertio: Si quodlibet posset

elevari ad producendum quodlibet, deberet

F. Amandi Hermann Physicã.

nullum sit, sed quod occultum sit. Deinde verum, quod creatura possit producere varios effectus supernaturales, malè tamen infertur; ergo quodlibet potest elevari ad quodlibet producendum. Imò quantum Divus Augustinus voluerit, ipse sequentibus se declarat, nam loco citato paulò infra textum allegatum subdit: *Horum & talium modorum rationes, non tantum in Deo sunt, sed ab illo etiam rebus creatis inditæ, atq; concreatæ. Ut autem lignum de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra & aqua repente floreat & fructum gignat, ut per luventiam sterilis femina in senectute pariat, ut asina loquatur, & si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis, quas creavit, ut ex iis hæc fieri possent.* In quibus verbis clarè insinuat & loquitur vel de potentia passiva, vel de inchoata, ut est de sterili femina & seni, quæ ex natura sua habet, ut parere possit, quamvis defectu humorum in senectute nequeat, non tamen dicit, quamlibet creaturam quodlibet posse producere: unde lib. 16. contra Faustum cap. 3. dicit: *Deus creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit, id enim erit cuius rei naturale, quod ipse fecerit, a quo est omni modus, numerus & ordo naturæ.* Et lib. 21. Civit. cap. 8. hæc habet: *Omnia potentia contra naturam dicimus esse, sed non sunt, quomodo enim est contra naturam, quod Deus sit voluntate, cum voluntas tanti utiq; Conditoris, conditæ rei cuiusq; natura sit? Potentiam ergo sit non contra naturam, sed contra quam est nota natura.* Sed ex ratione etiam in contra

XV.
Argumentum ex ratione.

Arguitur. Datur potentia obedientialis in intellectu, ut possit elevari ad producendam visionem beatificam; ergo datur etiam potentia obedientialis in igne ad producendam aquam, in calore ad producendum frigus, & consequenter in omnibus ad omnia: probatur consequentia, quia major est impropertio in intellectu ad visionem beatificam, quam in calore ad producendum; ergo si datur potentia obedientialis in intellectu, dabitur etiam in calore: probatur ant. Quia intellectus est ordinis naturalis, visio verò beatifica est ordinis supernaturalis, calor & frigus autem utrumque est ordinis naturalis; ergo est major impropertio. R. negando consequentiam, cum sua probatione, quia in intellectu, respectu visionis beatificæ est tantum impropertio proxima, non verò remota, in igne verò, respectu aquæ & in calore, respectu frigiditatis est impropertio non modò potentia proxima, sed etiam remota, adedque est major impropertio, maximè cum frigus nullam dicat analogiam ad calorem, nec ab eo produci petat, visio verò beatifica, si producatur, petit produci ab intellectu, non sic petit frigus produci à calore. Unde hic non tam attendenda est proportio ordinis, sed proportio activi ad passivum.

Instatur. Si eliet aliqua major proportio inter intellectum & visionem beatificam, quam inter calorem & frigus, maximè esset vitalitas in utroque repetita, hæc non est; ergo nulla: probatur mi. quia vitalitas visionis est in ordine suo supernaturalis, vitalitas autem intellectus est naturalis, ergo: R. dist. ma. esset vitalitas sola, nego, esset vitalitas & etiam ipsa

visio, quæ ab intellectu produci petit, concedo ma. & nego mi. cuius probationem etiam distinguo, vitalitas visionis est supernaturalis respectu potentia proxima, concedo, respectu potentia remotæ, nego. Itaque vitalitas visionis respectu potentia remotæ potest dici aliquo modo naturalis, in quantum videlicet intellectus habet potentiam inchoatam & innatam respectu illius visionis.

Urgetur. Nullum superius continetur in inferiori, sed effectus est supernaturalis & majus quid; ergo nullo modo contineri potest in potentia naturali, & consequenter vitalitas visionis, quæ supernaturalis est, nullo modo continebitur in vitalitate intellectus. R. 1. dist. consequens; ergo naturale non potest contineri in potentia naturali, secundum se mudè considerata, concedo, in quantum est elevata, nego consequentiam. Quia potentia ut elevata, est quodammodo ordinis supernaturalis & supernaturalitas, in quantum deprehendit jam potentiam inchoatam, est quasi ordinis naturalis. Deinde R. 2. negando mi. Quia dantur multa entia naturalis ordinis, quæ non sunt tam perfecta, imò perfectiora, quam entia supernaturalis ordinis, ut patet de potentia vitali & substantia.

Verum Ad evitandas plures & has instantias, ad principale argumentum respondeo secundo, inter calorem & frigus esse majorem impropertionem, quam inter intellectum, & visionem ex eodem capite, quo putant impropertionari sibi intellectum & visionem, nempe ex supernaturalitate, quia si calor produceretur à frigore, tunc calor ille esset æque supernaturalis ordinis, licet non quoad substantiam, saltem quoad modum, adedque invenitur & hæc, & alia impropertio, & consequenter major est Jam

Dico 4. Nulla creatura potest creare vel etiam elevari ad creandum neg, ut instrumentum, seu causa coagens instrumentalis. Ita Doctor 4. d. 1. q. 1.

Probatur primò: Autoritate D. Augustini, lib. 9. d. Genesi ad litt. cap. 1. §. ubi ait: *Angeli nullam omnino possunt creare naturam, solum enim uniuscujusq; naturæ, seu minime, creator est Deus.* Et infra: *Formare vel adjuvare costam, ut mulier esset usq; aded non potuit, nisi Deus, à quo universa natura subsistit, ut ne illud quidem supplementum in corpore viri, quod in illius costæ successu locum, ab angelis factum esse crediderim.* Et clarè lib. de natura boni cap. 18. dicit: *Nemo formare & creare corpora, nisi Deus potest lib. 12. Civitat. cap. 24. asserit: Neg, enim fas est ullum naturæ, quamlibet minime mortalium, creatorem, nisi Deum credere ac dicere, etiam antequam possit intelligi.* Divi Bernardi Serm. 51. de diversis ait, solum unum Deum esse creatorem & lib. 3. de Amore Dei cap. 10. ait: *Cogitandum est Deum omnium rerum causate efficiens & superessentiale principium.* Sed si angelus, vel homo creare possent, deberet etiam cogitari, ut superessentiale principium; ergo solus Deus est, & consequenter nulli creature communicari potest. Adde D. Cyrillum Alexandrinum lib. 2. contra Julianum, ubi dicit:

Inaccessa natura sunt ea, quæ propria sunt solius & omnium summe substantie, quorum unum esse dicimus efficaciter producere posse ut creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.

Probatur Conclusio ratione:

Si posset creatura elevari ad creandum, deberet habere aliquam virtutem & principium inchoatum & incompletum, sed nulla creatura talem habet virtutem; ergo nulla creatura elevari potest ad creandum: probatur mi. Illa virtus deberet esse spiritualis vel materialis, neutra est, ergo: probatur mi. non materialis, tum, quia dicit D. Augustinus lib. 83, quæst. q. 78. *Ipsi non possunt de nihilo aliquid fabricare, quia per corpus operantur*: tum, quia omnis virtus materialis nihil potest agere, nisi cum dependentia à materia, creatio autem non habet dependentiam ad materiam, ergo. Nec etiam potest esse spiritualis; quia omnis virtus spiritualis operatur & agit volitione, sed per volitionem nulla creatura potest creare, quia accidens est, quod neque substantiam attingere potest, multo minus terminum creationis.

Probatur secundò: Nullum attributum Divinum potest alicui creaturæ communicari, creare est attributum Dei; ergo nulli creaturæ competere potest, probatur ma. quia quæ ratione posset communicari creaturæ unum attributum, posset & aliud, ab omnimoda paritate, quo concessio, sequeretur, quòd etiam creaturæ communicari posset non esse ab alio, quod est contra rationem creaturæ, ergo. Confirmatur: Quia nulla ratio, nec autoritas, vel levis conjectura adferri potest, quæ denotaret creaturam habere virtutem creativam etiam inchoatam.

Probatur tertio: Quòd creatura

neque ut instrumentum creare possit, quia, præterquam, quòd instrumentum semper aliquid prævium requirat ad operationem, sic immediate attingeret terminum creationis, sed creatura nequit attingere terminum creationis, ergo.

Dices: Potest creatura aliquid annihilare, ergo & creare: consequentia videtur certa, quia æqualis est distantia à nihilo ad aliquid, quam ab aliquo ad nihil, juxta Philosophum 3. Phys. l. 1. r. probatur antecedens, quia agens naturale destruit formam naturalem, ut ignis formam ligni & peccatum gratiam, ita ut nihil remaneat, ergo. Sed r. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd licet ignis destruat formam ligni, non tamen ita destruit, ut nihil subjecti ejus remaneat. Peccatum autem non destruit gratiam Physicè, sed tantum demeritorie, in quantum scilicet Deus decrevit ad commissionem cujuscumque peccati mortalis gratiam velle tollere.

QUÆSTIO VII.

De Conditionibus Cause Efficientis ad agendum.

Agendo de Causis in communi, tetigimus quidem conditiones ad causandum requisitas

in communi, hic autem, tanquam unam præcipuam, quæ de causa efficienti moveri solet, videlicet utrum agens efficienter ita requirat passivi & subjecti approximationem, ut non possit agere in ipsum, licet maximè distaret; Unde sensus quæstionis hic est: An videlicet causa secunda ita posset agere, ut aliquid producat in fine & in extremo, ubi passum existit, ut tamen nihil producat in medio? quod multipliciter iterum intelligi potest: Primò, an possit agere indistans, ita tamen, ut cum medio tanquam cum concausa agat? Secundò, an possit agere indistans, etiam veluti causa totalis & immediate, ita tamen, ut per medium, tanquam per necessarium prærequisitum necessitate ordinis, ita ut in utrumque agat immediate, sed prius in passum propinquum, quam remotum? Tertio, an possit agere indistans immediate, non agendo in medium eodem genere actionis, sed diverso? Quarto denique an ita, ut nihil omnino producat in medium? Et in hoc posteriori sensu potissimum controversatur, nam posse reliquis, nullum videtur dubium & si est aliquid, non tantum, imprimis enim quòd possit agens agere indistans, ut etiam concurrat medium, tanquam causa partialis, patet, quia alioquin sequeretur, quòd agens non posset agere in superficiem propinquam passivi, ita quòd esset necessarius contactus Mathematicus; Deinde ponatur casus, quòd passum aliquid frigidum applicetur ad os fornacis ardentis, illud subjectum frigidum non calefiet solum ab igne, sed etiam ab aere circumstante, quia passum est tam dissimile uni, quam dissimile alteri, nec per hoc, quòd unum sit agens fortius, alterum debet impediri ab omni actione. Et sic de aliis, de posteriori tamen dicendi modo, duplex potissima est sententia. Prima est Occami & Nominalium cum pluribus aliis etiam Recentioribus, qui omnes putant, in rebus creatis dari agentia, quæ ita in passum distans agere possunt, ut nullo modo agant in medium, sive eadem, sive diversâ ratione. Secunda est huic immediate opposita & negativa, quæ videtur Aristoteli esse conformior, eamque tenet D. Thomas & plurimi Recentiores. Scotista in isto passu liberi sunt, eò, quòd Scotus nihil determinaverit de hac re, ut proinde etiam tam bene pro una, ac pro altera citatur sententia. Pro Resolutione

Notandum, Subjectum posse dupliciter esse approximatum suæ causæ: primò per indistantiam, seu immediationem suppositi, quando scilicet causa & passum, in quod causa agit, sunt in eodem loco, ita ut inter illa versetur & intercedat contactus Mathematicus, vel saltem Physicus, id est, in maxima vicinitate. Secundò per indistantiam & immediationem virtutis, quando passum continetur intra latitudinem & spheram activitatis agentis, per spheram activitatis autem aliud non intelligo, quam spatium, ultra quod causa suam virtutem nequit diffundere, quòd circulum & spheram efficere solet, ut patet de Magnete, qui ex omni parte ad æqualem distantiam ferrum attrahit, ita ut non trahat ex una parte in remotiori, ex alia in propinquiori distantia. His notatis & præmissis resolutivè

II.

Dupliciter potest esse subjectum approximatum, vel per suppositum, vel per virtutem.

III.
in creatis
non datur
actio indi-
stans.

Dico I. In causis & agentibus creatis non datur actio indistans, seu non potest agens naturale in subiecto remoto producere aliquid, nisi prius operetur aliquid in medio. Hæc est Authorum secunda sententia: &

Probatur ab Experientia, quæ est optima Rerum, ubi rationes desunt, Magistra, quæ constat, quod quotiescunque inter agens & passum intervenit aliquid aliud corpus, quod est incapax huiusmodi effectus, quod toties impediatur actio agentis, sed huius rei, & experientia nulla potest alia assignari ratio, nisi quia actio transiens per medium fuit impedita; ergo nullum agens creatum potest producere aliquem effectum in extremo, nisi operetur aliquid in medio; Patet ma. tum, quia sol non illuminat hypocauftum, aut aliud quodlibet subiectum, si aliquid inter ipsum, & subiectum interponatur, tum, nullum obiectum producit sui sensibilem speciem in oculo, seu potentia visiva interveniente obiecto opaco: tum (ut omittam plurimas alias experientias) Magnes nequit attrahere ferrum, si inter ipsum & ferrum intersit paries: probatur etiam min. quia si sol potest agere indistans, ut non operetur in medio, quæro, quare non producat in hypocaufto calorem & lucem, si fenestræ claudantur asseribus, & tamen producat dum transit & interpositus est cristallus & alia vitra ac corpora diaphana, certè huius alia non potest dari ratio, nisi quia vitrum & corpora diaphana sunt capacia, ut per illa transeat actio: ergo.

IV.

Dices. Hoc provenire ex eo, quod asseres & alia corpora resistent soli agenti, adeoque impediunt ejus actionem, sicut videmus calorem non posse producere calorem, dum ei frigus obstat. Sed Contra: Quia asseres & alia corpora interjecta inter solem & hypocauftum, vel faciem meam non resistent illuminationi, positivè producendo aliquod contrarium, quemadmodum frigus resistit calori, sed tantum negativè, per suam incapacitatem, in quantum scilicet sunt incapacia, ut per ipsa transeat calor, lux & producantur in hypocaufto, & consequenter ratio, cur interposito corpore sol non possit illuminare, alia non est, quam quod possit operari per medium.

V.

Probatur Conclusio secundò: Si agens naturale possit agere in extremum & subiectum distans, sequeretur, quod posset effectum in quacunque distantia producere, Magnetem videlicet Cistercii existentem posse attrahere ferrum, quod est Camencii vel Henrichovii, sed hoc est inconvenientissimum; ergo: probatur sequela ma. Intellectus potest intelligere Magnetem Cistercii existentem, licet ipse sit Camencii; ergo etiam Magnes posset ferrum hic existens ad se Cistercium attrahere: probatur consequentia. Quia idè intellectus potest Magnetem intelligere in quacunque distantia, quia in producenda intelligence & in agendo non dependet à medio, sed Magnes non dependeret à medio; ergo etiam in quacunque distantia posset ipsum ferrum attrahere, ab omnimoda paritate.

Dices: Hoc fieri non posse ex eo, quod major propinquitas sit conditio, ut agens melius operetur, adeoque potest esse tanta distantia, in qua agens operari nequit. Sed Contra primò: Hinc sequeretur, quod quemadmodum major propinquitas est conditio ad melius operandum, ita absoluta propinquitas sit conditio ad operandum absolute. Contra secundò: Idè major propinquitas est conditio ad melius operandum, quia actio debet transire per medium, quod quo minus est, èd facilius vincitur, quæ actio, si non debet transire per medium, parùm referet, sive sit magna, sive parva distantia, quia nihil habet, unde impediatur, vel retrahatur ab actione.

Instabis. Hoc idè esse, quia cuiuslibet rei est assignata determinata sphaera activitatis, extra quam non potest agere, licet possit agere intra eandem. Contra: Quod habent sphaeram activitatis, aliunde non provenit, nisi, quia, diffundendo virtutem suam activam per medium, agentia debilitantur & extenuantur, vincendo medii resistentiam vel distantiam, quæ tamen actio non deberet debilitari, si non transiret per medium, sed semper manet integra adeoque in quacunque distantia agere potest. Sed principaliter contra Conclusionem.

Arguitur: Obijciendo multas & ordinarias experientias, nam Basiliscus visu hominem bestiamque interficit, vetulæ oculi faciunt, torpedo piscis piscantis mortificat manum, sol in visceribus terræ aurum, gemmasque producit, id pariter faciunt alia atra, sed atra distant ab omnibus illis; ergo agunt indistans. Ad has & similes, aut alias experientias & unicâ distinctione, ea omnia agere in subiecta à se distantia secundum suppositum concedendo, secundum virtutem, negando, virtus enim, per quam agit sol, diffunditur per medium usque ad ipsum subiectum. Quod si autem talis virtus & qualitas non diffunderetur, tunc èd usque propagatus est effectus productus in medio, prout contingit, dum magnus ignis calefacit simul subiectum aliquod, aut plures candela lumen intendunt in medio. Sed

Instatur: Illa virtus emissæ, quæ transiret per medium, est occulta; ergo nequit assignari, tanquam ratio, per quam ageret agens: probatur ant. quia est planè conficta. R. negando ant. cum sua probatione, ratio enim sufficientissima, adstruendi huiusmodi qualitatem, est experientia, quæ videmus, quod si inter Magnetem & ferrum (qui etiam putatur agere indistans) ponatur aliquod corpus denium & cristallinum, quod tunc nequaquam ferrum attrahat, cuius rei alia ratio assignari non potest, nisi, quia qualitas & virtus attractiva, per interpositionem corporis densi, fuit impedita, quò minus poterat difundi.

Urgetur: Si à Magnete egredieretur aliqua qualitas, deberet tam bene attrahere illud corpus interpositum, ac attraheret ferrum, si corpus interpositum non fuisset, sed hoc non facit, ergo: probatur sequela ma. quia impulsus impressus corpori projecto, trahit omnia corpora

corpora intermedia secum: ergo. R. negando sequelam ma. cum consecq. prob. disparitas est, quia impulsus est aequaliter omnibus corporibus imprimibilibus, non sic virtus Magnetica, Magnes enim non habet virtutem attrahendi, nisi ferrum, unde, licet ejus actio & virtus tam bene recipiatur in aere vel alio medio, per quod transit, non tamen illud secum trahit, quia trahendi non habet virtutem, quod ab experientia constat, quae in similibus optima est Magistra.

Replicatur: Si aliqua virtus egredietur à Magnete, illa deberet impediri per interpositionem cujuscunque corporis intermedii, quemadmodum impeditur diffusio lucis per interpositionem cujuscunque corporis opacis, sed hoc non fit, ergo: probatur min. quia si inter Magnetem & ferrum ponantur laminae aëreæ vel cupreæ, etiam fat crassa, adhuc ferrum trahit; ergo: illa qualitas non transit per medium, alioquin illud corpus interpositum transiret impedire deberet. R. dist. ma. deberet impediri interpositione cujuscunque corporis, nego; sufficientis ad impediendum transitum, concedo, quod autem non impediatur per interpositionem lamellarum cuprearum & similiarum, Ratio esse potest, tum quia virtus Magnetica resistitiam vincere potest, tum quia illae lamellae sunt porose, adeoque virtus illa facile penetrat, hoc autem dici debere ex eo constat, quia videmus, quod si corpora majora & solidiora interponantur, Magnes non possit ferrum attrahere.

Arguitur secundò: Imaginatio quae residet in capite, movet appetitum residentem in corpore; ergo agit indistans. Sed R. negando consequentiam, quia eadem anima, quae apprehendit in capite, concupiscit in corpore, si sermo sit de anima rationali, si verò de animalibus brutorum, tunc apprehensio, seu imaginatio non est nisi conditio ad monendum appetitum.

Instatur: Imaginatio matris gravidae imprimi foetui varias formas, figuras & maculas, eorum potissimum objectorum, quae immoderate concupivit, sed imaginatio matris non est praesens foetui; ergo imaginatio adhuc agit in distans. R. dist. mi. non est praesens, per virtutem, nego, non est praesens, per suppositum, transeat mi. & nego consequentiam. Itaque illae figurae & maculae non imprimuntur per imaginationem, sed per vim formativam foetus, quae vis alteratur multum per timorem, desiderium, amorem & similes passiones, quas concipiat immoderate imaginatio, & fortis apprehensio.

Pro majori Intelligentia praecedentis conclusionis Notandum, quod, quando causa creata producit effectum aliquem in subiecto distante, non esse necesse, quod effectum eundem producat in medio, quae producit in subiecto distante, sed sufficit, quod aliquid producat, quod sit per se conducat ad illum effectum, Patet: Nam sol producit aurum, & metallum in visceribus terrae, quae tamen non producit in aere; item in aere producit calorem, quem tamen non producit in sphaerae coelestis

bus, utpotè cum sit qualitas corruptiva, quae proinde in caelis recipi non potest, hujus rei alia ratio à priori assignari nequit, quam diversitas dispositionum in subiectis repertarum.

DICO 2. Agens increatum ex ratione Agentis, quae infinitum est, potest agere in distans, licet nisi operetur in medium. Hæc est Doctoris I. d. 37. & communior Scotistarum.

X.
Agens increatum potest agere in distans.

Probatur: Quia si per impossibile Deus non esset ubique, sed tantum in caelo, & haberet infinitam virtutem agendi, posset agere in quacunq; parte mundi, licet non ageret in medio; ergo ex ratione agentis quae talis, poterit agere in distans: probatur ant. quidquid summam Dei perfectionem commendat, Deo attribuendum est, sed hoc commendat Dei perfectionem summam, ergo: probatur min. quia hanc perfectionem commendat in creatis, ergo etiam in Deo. Dictum tamen in conclusione notantè est: *ex ratione agentis formaliter*, quia ex alio capite Deus non potest agere in distans, scilicet ratione immensitatis per quam cuicunq; rei & creaturae necessarii praesens est. Et hoc tantummodò præterunt omnes textus Sacrae Scripturae, quae in contrarium adferri possunt.

DICO 3. Potest etiam de potentia Dei absoluta in creatu dari actio indistans. Ita Scotista & plures Recentiores contra Molinam Ruvium &c. Et

XI.
In creatis etiam divinitus dari potest.

Probatur primò: Deus potest suppleri omnem conditionem, etiam necessariam requisitam in causa secunda ad agendum, sed approximatio & propinquitas causae secundae ad passum, est tantum conditio ad agendum requisita; ergo potest Deus eam supplere, & consequenter agens creatum divinitus poterit agere in distans: probatur min. quia effectus productus in distantia in se non est in substantia extra virtutem agentis, sed tantum in modo: ergo.

Probatur secundò: Potest agens creatum elevari ad potentiam obedientialem, ad effectus supra naturam producendos, dummodò ad hoc habeat virtutem incompletam & principium inchoatum, sed sol, verbi gratia, habet principium illuminandi, producendi aurum & gemmas; ergo poterit elevari ad similes effectus producendi in distans.

Probatur tertio: Potest Deus ponere unum corpus de uno extremo in aliud extremum absque eo, quod transeat corpus per medium; ergo potest etiam elevare agens creatum, ut agat indistans. Patet ant. de Corpore Christi, quod speciebus consecratis sit praesens absque eo, quod transeat per caelos ad inferiora terrae: probatur consequentia, quia eadem est ratio, & major est connexio cum actione indistans ad agens, ac cum uno extremo ad aliud. Confirmatur: Ex eo, quod nulla possit adferri ratio vel implicancia, quare id fieri divinitus non possit. Sed

Dices: Non potest agens agere in tempore, in quo non est; ergo neque in loco, in quo non est, & consequenter agens creatum nequit elevari ad agendum indistans. R. negando conse-

XII.

consequentiam, quia agens, quod non existit in hoc tempore, non existit in ullo, sed vel existit vel existit in tempore, quod vel jam fuit, vel primò erit, quia igitur una necessarissima conditio ad agendum est existentia, dum agit, tunc pro illo tempore necessariò existere debet, agens vero, quod non existit in hoc loco, non statim propterea non existit absolute, sed tan-

tum non existit hic, unde potest existere alibi; quare bene quidem infertur, agens non existit in hoc tempore; ergò non existit illo modo; mala tamen ista altera; Agens non existit in hoc loco; ergò non existit absolute in ullo loco, adeoq; licet existentiam in hoc tempore requirat, ut agat in hoc tempore, non tamen requirit existentiam in hoc loco, ut hic agat.

DISPUTATIO V.

DE CAUSA EFFICIENTE INCREATA.

I. **N**ullus, nisi insipiens negat Deum esse causam efficientem, & principium omnium rerum creatarum, à quo, non modò in fieri, sed etiam in conservari dependeat, unde notantèr dixit etiam Regius Pfalter, insipientem in corde tantum dixisse: *Non est Deus; Nemo enim*, verba Divini Augustini sunt: *tam in signem blasphemiam ore aude- ret proferre*; verum, eum errasse, propria confessio convincit, quia ex illo anteedente consequentiam infert; *Ergò erravimus & via veritatis non fuit in nobis*. Convincunt etiam non modò fides Catholica, quæ in Symbolo suo credit: *Factorem Cæli & terræ, visibillum & invisibillum*, ac plurima Scripturæ loca, quæ testantur: *Per eum facta esse omnia*, sed insuper Illustrissima Sanctorum nostrorum Doctorum Augustini & Bernardi, nam Hypponenfis Præful lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. ait: *Contra quos* (id est insipientes) *profertur sententia Domini: Pater meus usq; modo operatur & ego operor: deinde quia non solum magna & præcipua, verum etiam ista terrena & infima ipse operatur, ut dicit Apostolus & Sapient. 11. Quomodo potest aliquid permanere, nisi voluisset, aut quomodo à te vocatum esset, non conservatur?* Serm. 55. de verbis Domini sic loquitur: *Interroga mundi ornatum, Cæli fulgorem, dispositionemq; siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium. Interroga terram fructificantem herbis & lignis, animalibus plenam, hominibus exornatam. Interroga mare quantum, & qualibus natantibus plenum, interroga aëra quantis volatilibus viget. Interroga omnia & vide, si non sensu suo, tanquam tibi respondent: Deus nos fecit, hæc & Philosophi nobiles quaesierunt, & ex arte artificem cognoverunt. Et Enarrat. Pf. 145. *Qua vides, ipse fecit. Miraris mundum, quare non Artificem mundi? Suspicias calum & exhorrescis, cogitas universam terram, & contremiscis maris magnitudinem. Respice tant a generis seminum, tant a diversitates Animalium, quidquid natat in aquis, repit in terra, volitat in aëre, circumit in celo, omnia ista, quam magna, quam præclara, quam pulchra, quam stupenda? Ecce qui fecit hæc omnia, Deus tuus est.* Abbas verò Claravallensis sæpenuerò admirabile Dei in rebus creandis artificium commendat, signantèr verò, dum expendit illum Sacra Scripturæ textum: *Ex quo omnia, in quo omnia, per quem omnia* lib. 5. de Considerat. cap. 6. sic ait: *Ex quo omnia, creabiliter, non seminabiliter. Per quem omnia, ne alium Auctorem atq; alium opificem arbitreris. In quo omnia, non quasi in loco, sed quasi in virtute. Ex quo omnia, tanquam uno principio, auctore omnium. Per quem omnia, ne alterum inducatur principium, artifex. In quo omnia, ne tertium inducatur, locus. Ex quo omnia non de quo, quia non est materia Deus, efficiens causa est, non materialis.* Rationibus autè insipientem convincere non est hujus loci, nam hoc præstant vel Theologi vel Metaphysici, ad præsens supposito Deo tanquam Causâ primâ Increatâ spectat inquirere & examinare, an & qualiter Creatura dependeat in suis operationibus à Deo, quod sequentibus faciam quæstionibus. Sit igitur*

QUÆSTIO I.

An Deus immediatè concurrat cum causa secunda ad suos effectus?

II.
Deus est vera causa.

Deum esse omnium rerum creatarum principium, dixi paulò suprâ, qui non incongruè in ratione primi principii, seu primæ causæ cum divo Bernardo Libro proximè citato definiri potest: *Verum simplexq; principium, quod principium non habuerit, id est Causa, à quâ omnia suam accipiunt esse, ipsa tamen a nemine habet origi-*

nem. De hac materia duplex solennis est sententia, unius, si non Author principalis, saltem Fautor & Defensor est Durandus, qui dicit Creaturas ad suas operationes aliud non requirere, quàm quòd à Deo ponantur ad esse, ab eoq; conserventur, ut proinde possint & deficiendo operentur, sine immediato Dei consensu, quòd pluribus Sacra Scripturæ locis comprobare nititur, verum tamen hæc sententia à gravissimis Theologis & sapientissimis Philosophis summis impetitur censuris, ut eam pluribus erroribus esse obnoxiam, imò hæreticam com-
pellent.

pellent. Altera sententia est D. Bonaventurae 2. d. 37. art. 1. q. 1. & cum eo omnes celeberrimi Scholastici, praeter Durandum, conveniunt, qui omnes una voce clamant & docent, Deum creaturis non modo dare, ut sint & virtutem, ut operari possint, verum etiam cum iis ad singulas actiones proximè & immediatè concurrere. Pro resolutione

III. **Notandum:** Causam quamcunque efficientem dupliciter posse agere immediatè, immediatione virtutis scilicet & suppositi: Immediatione suppositi agit causa, quae per actionem immediatè à se egredientem & immediatè terminatam ad actum, producit illum effectum; sic objectum concurrat cum intellectu ad producendam intellectionem, ignis ad producendum alium ignem. Illa verò agit immediatione virtutis, quae non habet actionem immediatè à se egredientem & terminatam ad effectum, communicat tamen alteri causae agentis virtutem productivam ejus, sine qua nequiret ipsum producere, & sic concurrat causa calefaciens aquam cum eadem aqua ad calefaciendum. Hoc notato

IV. **DICO:** Deus concurrat cum omnibus causis secundis, ad quascunque, & singulas actiones immediatè non modo immediatione virtutis, verum etiam immediatione suppositi. Haec est conformis ad secundam sententiam: &

Probatur primò, Autoritate Sacrae Scripturae: nam Isaia 26. dicitur: *Omnia opera nostra operatus est in nobis* 1. ad Corinth. 15. *Deum operatur omnia in omnibus* Pl. 146. *Qui producit in montibus saxum: item 103. Qui producit fenum jumentis & herbam servituti hominum.* Et Math. 6. *Si fenum, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.* Probatur auctoritate Sanctorum Patrum supra citatorum, quibus addo duplicem textum, nam D. Aurelius lib. 7. de lib. arb. cap. 17. sic ait: *Quamobrem quamcumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo, esse non possunt.* D. Bernardus verò Sermon. 22. de diversis sic dicit: *Totum ergò, quod est, illi debes, à quo totum habes, illi praecipue Domino, qui & te fecit & benefecit tibi, qui tibi ministrat fidem, cursum, aëris temperiem, secundum aem terrae fructuum ubertatem: & in Cant. Cant. Sermon. 85. demonstrans, omnes conatus nostros sine Deo esse inanes, dicit: Frustra nititur, si non imititur, (Deo scilicet concurrenti & adjuvanti) sane etiam contra se immitens invalescet, & facta seipsa validior cogit pro ratione universa, iram, metum, cupiditatem & gaudium, veluti quendam animi cursum bonus auriga regit, & in captivitatem rediget omnem carnalem effectum, & carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis. Sed Conclusio*

VI. **Probatur Ratione primò:** In omnibus creaturis modus operandi sequitur modum essendi, seu quod idem est, operari sequitur esse, sed omnes Creaturae ita dependent à Deo, secundum esse & entitatem suam, ut cessante concursu conservativo Dei definire totaliter deberent, ergò etiam omnes creaturae ita dependent à Deo in operando, ut illo non cooperante nihil producere possint. Major patet, minor etiam est certa, consequentia ergò est optima.

F. Amandi Hermann Physica.

Secundò: Deus est omnium rerum causa universalis; ergò ad omnes omnino effectus debet concurrere: probatur consequentia, quia si non concurreret ad omnes effectus, non magis esset causa universalis, quam Adam, respectu omnium hominum, primus ignis respectu omnium ignium, aut primus equus respectu omnium equorum, sed Deus est magis causa universalis; ergò ex eo, quòd omnes effectus producat cum causis secundis: probatur sequela, quia quemadmodum Adam dicitur causa omnium hominum &c. ex eo, quòd filiis communicaverit virtutem generandi, & ab ipso geniti sint, ita etiam omnia alia tantummodò essent à Deo producta, consequenter non esset Deus magis causa universalis.

Probatur tertio: Omnis res creata est ens, per participationem; ergò immediatè suum accipit esse participatione, probatur consequentia: esse ens per participationem, aliud non est, quam habere suum esse ab aliquo immediatè influente esse, sed omne ens, praeter Deum, est ens per participationem; ergò immediatè suum esse participat à Deo, & per consequens ad illius esse Deus immediatè concurrat.

Probatur quarto: Quia potest Deus impedire quoscunque effectus causarum secundarum, etiam sufficienter applicatarum, sed hoc non posset facere, nisi immediatè concurreret ad effectus causarum secundarum, ergò: manifeste patet ex igne Babylonico, quòd etiam in Deo arguit magnam perfectionem: probatur mi. quia non potest explicari, quomodo Deus effectum causarum secundarum impedire posset positis omnibus requisitis ad agendum, cum non possit assignari ratio, quare non fuerit puerorum combustio secuta, sicut sequebatur aliorum tunc adstantium, quòd tamen facile praestatur, si immediatus Dei concursus concedatur, quia statim dicitur, hoc ideo contigisse, quia Deus cum igne non concurrebat ad pueros comburendos, sicut concurrebat ad combustionem aliorum. Confirmatur Conclusio: Quia agere immediatione suppositi nihil est aliud, quam quòd actio immediatè egrediat à causa, & terminetur ad effectum, sed actio immediatè egreditur à Deo, ergò: probatur mi. quia volitio Dei, quae necessariò requiritur, ut effectus aliquis ponatur extra suas causas, immediatè egreditur à Deo: ergò. Sed

Arguitur: Ut causa aliqua creata producat effectum suum, nihil requiritur, quam, ut habeat virtutem aequalem effectui, verbi gratia, ut ignis, vel calor producat calorem ut sex, aliud necesse non est, quam, ut habeat calorem ut sex, sed in causis creatis reperitur talis aequalitas cum perfectione effectus; ergò non habent necessarium concursum causae primae: manifeste patet, probatur minor, quia omnis causa, vel est univoca, vel aequivoca: si univoca, est ejusdem perfectionis cum effectui, si verò sit aequivoca, est majoris, ergò. 3. dist. ma. in causis creatis reperitur talis aequalitas virtutis productivae, supposito Dei concursu, concedo mi. eo non supposito, nego mi. & consequ. Itaq; omnes causae secundae, si abstrahant à concursu Divino, non habent sufficientem virtutem, ad producendos suos effectus.

Kkk Instatur:

VII.

XI.

VIII.

Argumentum in contrarium primum.

Instatur: Si in omnibus causis secundis deberet supponi concursus divinus, sequeretur, quod nulla daretur causa totalis, sed dantur causae totales; ergo ad eas non requiritur concursus Dei. *R. dist. mi.* in suo genere, seu in genere causae secundae, concedo *mi.* in omni genere, nego *mi.* Itaque licet materia & forma quaelibet in suo genere sit causa totalis, attamen ad compositum constituendum requiritur etiam causa efficiens & in liberè agentibus finis, quarum tamen utraque in suo genere est totalis causa, quare per hoc non impediuntur, quod minus maneat, & sint causae totales, quemadmodum non cessant esse causae totales, quod cum eis concurrant astra & caeli ad varios effectus in sublimari sphaera producendos.

Urgetur: Quotiescunque duae causae totales concurrunt ad eundem effectum producendum, ponitur ab una simpliciter, ita ut nihil ponatur ab altera, ut patet in duobus baptizantibus, in duobus consecrantibus; ergo si Deus, & causa secunda totalis concurrunt, una erit superflua & nihil producet, & consequenter vel creatura nihil aget, contra dicta superius, vel non erit necessarius concursus Dei. *R. dist. ant.* Duae causae totales ejusdem rationis & in eodem genere, concedo ant. diversae rationis, & in diverso genere ac ordine, nego *mi.* Itaque quando Deus, & agens creatum effectum aliquem producant, tunc effectus indivisibiliter ab utraque dependet totalitate, ut dicitur, effectus, licet non totalitate causa.

IX.

• Secundum.

Arguitur secundò: Si Deus immediate concurrat cum causis secundis ad actiones suas producendas, sequitur, quod etiam concurrat ad producendos actus peccaminosos, sed hoc est contra summam ejus perfectionem, ergo: probatur *mi.* quia sic posset dici peccare & iniquitatis Author, quod impium est & blasphemum, ergo: *R. i. dist. ma.* deberet etiam concurrere ad actus peccaminosos commissionis, transeat in suo sensu debito; omissionis, nego *ma.* Quia haec simpliciter solum hominem respicit, adeoq; respectu horum peccatorum, quae per omissionem contingunt, nullo modo Deus est Author, unde ut solvatur objectio, quae loquitur potissimum de peccatis commissionis, *R. 2. dist. ma.* deberet etiam Deus concurrere ad actus peccaminosos, quoad esse materiale, concedo *ma.* quoad esse formale, nego *ma.* Itaq; ad entitatem materialem peccati, puta ad occisionis actum, vibrationem nempe gladii & perfosionem, Deus concurrat, ut Causa universalis, non tamen ad ejus esse formale, quod consistit in privatione debitae rectitudinis in esse, in quo homo est culpabilis, quod non det rectitudinem suo actui, quam dare posset, si vellet, concurrente Deo, quare illa entitas occisionis, prout à Deo procedit, semper recta est, quia Deus ex sua parte semper rectè operatur. Sed

Instatur: Causa creata tunc non dat rectitudinem actui, quando ponit materiale actus, sed Deus ponit materiale actus peccaminosi; ergo Deus non dat rectitudinem, & consequenter peccat. *R. dist. ma.* quando ponit

materiale actus quomodocunque, nego *ma.* quando ponit materiale actus contra legem, concedo *ma.* Itaque quando Deus ponit materiale actus, non ponit illud contra legem, sed juxta eam, quia non tenetur abstinere, sed potius ex ratione causae universalis concurrere.

Urgetur: Sunt quidem materiales actus intrinsecè mali, ut sunt mendacium, haeresis &c. ergo si DEUS concurrat ad actus materiales omnes, concurrat ad intrinsecè, & secundum esse materiale malos. *R. negando ant.* Quia illi actus secundum esse materiale, prout legem non recipiunt, non sunt mali, sed tantum in quantum legi subsunt, quae cum sit operatio ad extrà Dei, contingenter lata est. Plura de hac re videri possunt apud Theologos, qui hanc difficultatem ex professo & fusè examinare solent.

QUAESTIO II.

In quo consistat concursus Dei, cum quo concurrat cum causis secundis?

Quaerendo in quoniam consistat concursus Dei, aliud non intendo examinare, quam communem Recentiorum opinionem, qua putant eandem actionem esse concursum Dei, quae est causa secunda, ut proinde cum eadem actione, quae agit causa secunda, agat etiam Deus; Pars affirmativa apud Neutristas est communis: Scotistae verò hanc, vel non examinarunt, vel negativam tenuerunt, inter quos Principales sunt Pontius & Baro, cum quibus etiam Resolutivè ad quaestionem

Dico: *Concursus Dei, quo concurrat cum causis secundis ad suos effectus producendos, non est eadem actio ipsius Causae secundae, sed alia concomitans.* Ita Pontius & Baro.

Probatum primò: Nihil potest esse secundum suam entitatem, & eandem rationem prius simul & posterius, neque ratio movens & motum simul, sed si eadem actio, quae est causa secunda, esset etiam concursus Dei, idem secundum eandem rationem esset prius & posterius, movens & motum; ergo actio causae secundae non est concursus Dei: probatur *mi.* Quia concursus Dei est prior naturaliter concursu & actione creaturae; ergo si actio causae secundae esset concursus Dei, idem esset prius & posterius, movens & motum: probatur ant. ex Doctore 1. d. 8. q. 5. n. 26. ubi ait: *Nulla causa causat, nisi prima Causa causante causatum ejus, & hoc prius naturaliter, idem docet Aristoteles 7. & 8. Phyl.* Confirmatur haec ratio: Per concursum suum Deus adjuvat, excitatq; creaturam ad agendum; ergo concursus ipsius non est ipsa actio creaturae, seu causae secundae, probatur consequentia: Implicat, ut idem sit auxilium & excitatio ad seipsum, ergo: probatur, ant. quia si idem est excitatio & auxilium cum actione, non est potior ratio, quare unum potius dicatur auxilium & alterum actio, cum utrumq; idem sit, & sic non videtur ratio, quare concursus Dei dicatur auxilium causae secundae ad agendum, quam actio causae secundae dicatur auxilium & excitatio ad agendum Deo, & consequenter fatendum

fatendum est, concursum Dei non esse eandem actionem causae secundae.

Probatur Conclusio secundò:

Si Concurfus Dei esset eadem actio, quae est causae secundae, sequeretur, Deum omnia, quae ad extra agit, efficere, sed hoc dici nequit, cum Deus non concurrat, nec in genere causae materialis, nec in genere causae formalis; ergò non est actio causae secundae concurfus Dei cum creatura: probatur sequela: Quia si Deus agit actione creaturae, sequitur, quòd dum parens generat Filium, Deum quoque efficere Filium generatione, & non per aliam efficientiam, cum actio, quae Pater agit, sit generatio; ergò etiam actio, quae Deus agit, erit generatio, alioquin non esset eadem actio.

Probatur tertio: Quotiescunq; duae

causae subordinatae concurrunt ad eundem numero effectum producendum, non concurrunt eadem actione sed diversa; ergò etiam, quando Deus concurrat cum causa secunda ad effectum aliquem efficiendum, non fiet eadem actione: ant. patet de intellectu & objecto concurrentibus ad intellectionem: probatur consequentia, quia nullum accidens potest esse in duobus subjectis, imò Deus est incapax omnis accidentis, sed actio est accidens relativum, quae in agente subjectari debet; ergò, quando DEUS cum causa secunda concurrat ad effectus suos producendos, non praestat hoc eadem actione: Sed in contrà, (& est communis replica, potissimumque Adversariorum fundamentum.)

Arguitur: Actio creaturae dependet &

à Deo, sed non dependet ab illo per aliam actionem; ergò immediatè egreditur à Deo: probatur ma. cum actio sit quid creatum, omne autem creatum dependet à Deo: mi. etiam est certa, ex communi axiomate Philosophico, quòd ad actionem non detur actio, quemadmodum nec ad motum motus: ex consequentia & toto argumento sic subsumo; sed illa actio etiam est creaturae & causae secundae ut supponitur; ergò eadem actione concurrat Deus, & causa secunda ad suos effectus. R. Negando mi. ad cuius probationem dico, illud axioma verum esse de eodem supposito, ut sensus sit: Idem agens non efficere suam actionem per aliam actionem, quae ab ipso egrederetur, non tamen, quòd aliud suppositum non possit in illam influere. Sed

Instatur: Si Deus influit in actionem

causae secundae vel in illam solam, vel etiam in effectum ejus, si in illam solam; ergò non influit in omnes effectus causarum secundarum immediatè, immediatione: suppositi & virtutis simul, quia influit, seu concurrat tantum ad actiones causarum secundarum: si verò dicatur, quòd effectum quoque attingat, tunc sequitur, quòd Deus bis eundem effectum producat, semel in actione, & semel in ipso effectu, quod enim est causa causae, est causa causati. R. utrumque dici posse, & si primum dicitur, tunc ad rationem oppugnationis, respondeo, illam non convincere, quia sicut ignis est verè causa alterius ignis, licet inter unum & alterum me-

F. Amandi Hermann Physica.

diet actio & passio, sic quoque causa secunda potest esse causa immediata suorum effectuum, licet actio productiva accipiat esse à Deo Si verò secundum tenetur, tunc dico, quòd concurfus, qui influit in actionem, non sufficit, ut ipse effectus ponatur, sed etiam ulterius requiritur concurfus, qui influat in ipsum effectum, adeoq; non bis influet, sed semel, eo scilicet concurfu, quo attingit effectum.

Urgetur: Ex hac responsione sequere-

tur, Deum aut inaniter, aut plus quam secundam causam laborare, quòd est inconveniens, quia alioquin dici posset, causas secundas exactiorem agendi modum invenisse, quam primam, quòd sacrilegum est. Sed R. negando sequelam, quia etiam ab ipsis causis secundis egrediuntur actio & terminus, & tamen per hoc non dicuntur inaniter, vel superflue laborare; Et ulterius, actio creaturae respectu Dei non est modus, sed est effectus, unde ab ipso egredi potest vel debet, sicut quicumque alius effectus. Quòd si tibi hoc difficile videtur, responde cum Pontio ad principale argumentum, non esse necesse, quòd omnia relativa immediatè egrediuntur à Deo, sed tantum, quae fiunt per veram, & realem actionem & Physicam efficientiam, nec hoc est favere sententiae Durandi, ut existimat Baro.

QUAESTIO III.

*An Concurfus Dei sit praedeterminatio
Causarum secundarum?*

Famosa est non modò nunc, ut plures

autumant, sed fuit etiam olim haec materia praesentis quaestions, tum secundum se, tum etiam eò, quòd plures alias & solemnissimas controversias involvat, compositionem liberi arbitrii cum gratia Divina, providentiam & praescientiam Dei, praedestinationem, & scientiam mediam Molinianam, secundum quam nova & recens dici poterit: Unde eam ita tractabo, ut Theologis non praedudicem, cum secundum se hujus loci & fori sit: Sensus itaque tituli est, an concurfus Dei cum causa secunda sit quid realitè impressum à Deo causae secundae, veluti aliquid necessariò praerequisitum ad hoc, ut agat, per modum alicujus qualitatis infusae, quae posità causa secunda necessariò debet agere, sive sit libera, sive naturalis, quaq; e contra non posità causa secunda non potest agere, & producere suum effectum, quam qualitatem vocare solent Authores, praemotionem & praedeterminationem Physicam, multisq; aliis titulis, Physicam verò, quia illam qualitatem quid Physicum esse putant. Sententiam affirmantem amplectuntur Thomista, eamq; Recentiores eorum defendunt mordacitè, existimantes, hanc esse Divi Thomae mentem, qui tamen in duplici sunt via, nam aliqui asserunt, Deum, praeter infusionem hujuscemodi qualitatis, non habere alium ullum influxum in effectum causae secundae, quod qui asserunt, necessariò fateri debent, Deum non concurrere ad omnes effectus causarum secundarum immediatè immediatione suppositi, sed tantum immediatione virtutis.

I. Ingressus est quaestio.

Alii, ut salvent Deum concurrere etiam immediate inmediate suppositi, docent: Deum, præter hanc qualitatem, concurrere particulari concursu, ad effectus causarum secundarum. Sententiam negantem tventur Scotus 4. d. 1. q. 1. & d. 43. q. 3. & d. 45. q. 6. cum suis, & reliquis Scholasticis omnibus, quamvis etiam hi inter se discrepent, ego inhærebo principiis Scoti, quare quomodocunque intelligant Thomistæ suam prædeterminationem Physicam, contra eam concludo, & in primis de causis naturaliter agentibus

II. **Dico I.** *Ut Causæ naturaliter agentes effectum suum producant, non habent prædeterminationem aliquam Physicam.* Ita Doctor cum suis supra.

Probatur primò: Causæ naturaliter agentes producant suos effectus naturaliter, conformiter ad inclinationem, sed si in eis daretur prædeterminatio Physica, non sic producerent illos, ergò non datur: ma. patet: probatur min. Quæcunque causa naturaliter, & secundum inclinationem producit effectum, debet habere virtutem intrinsicè sibi & naturaliter inditam, sed talem virtutem non habent, ergò non agerent naturaliter: probatur min. quia haberent tantum virtutem suam in DEO movente, prædeterminante & impellente, quæ non potest dici intrinsicè ipsi mobili, sicut non dicitur impulsus quicumque intrinsicè lapidi, quando directè & per planum movetur.

II. **Probatur secundò:** Si in causis naturaliter agentibus daretur prædeterminatio Physica, quæ esset qualitas necessariò requisita ad agendum, quæ posita causa secunda posset agere, quæque non posita non posset agere, sequeretur, omnes alias qualitates, & virtutes ad operandum superflue, sed hoc est inconveniens dicere, cum qualitates non tantum datæ sint ad ornatum, sed etiam ad activitatem, ergò: non datur: probatur sequela: Quia sine omnibus qualitatibus fieri potest actus; ergò illæ superfluerent: probatur ant. Illa qualitas se habet per modum impulsus impressi, sed hic pellit tam bene leve deorsum, ac grave, & grave tam bene sursum, ac leve; ergò etiam qualitas illa impressa hoc faciet, & consequenter sine aliis omnes effectus haberi poterunt. Confirmatur: Ad hoc, ut grave descendat deorsum, vel habet ex se principium sufficiens, vel non habet, si habet, ergò superfluit illa qualitas impressa: si non habet, ergò superflua erit ipsi gravitas, cum non possit facere, ut grave deorsum descendat, & consequenter sequetur, quòd si Deus lapidi existenti super asserem qualitatem hanc denegaret, quòd ipse non descenderet deorsum, & si asser subtraheretur, quòd satis mirum est, & aliud i. voluit scilicet, tunc aliquem saltem effectum lapidem habiturum sine prædeterminatione Physica, scilicet quietem sursum adeoque ad omnes effectus causarum secundarum non erit necessaria illa prædeterminatio.

IV. **Probatur tertio:** Particulariter contra eos, qui dicunt concursum aliud non esse, quam qualitatem prædeterminantem. Si concursus Dei esset aliqua qualitas intrinsicè, & impressa causæ secundæ, sequitur, causam secundam posse agere sine ulteriori concursu Dei, sed hoc est absurdum, ergò: probatur min. quia sic causa prima, seu Deus non concurreret immediate cum causa secunda, sed mediante qualitate intrinsicè, quòd Durandi cum est, & ipsis Adversariis abominabile: probatur sequela ma. Quia causa secunda potest agere, quando concurrens; habet totum concursum causæ primæ, sed si concursus Dei non esset aliud, quam qualitas illa impressa prædeterminans; ergò posset agere sine aliquo ulteriori; nec valerè dicere cum aliis, præter qualitatem illam prædeterminantem, requiri alium adhuc concursum particularem, qui cum causa secunda simultaneè concurrat, quia contra hos (contra alios enim vim suam habet argumentum.)

Probatur Conclusio quartò: Supposito simultaneo Dei concursu cum causa secunda, superfluit omnis alia qualitas prædeterminans, ergò non est assignanda: probatur ant. quia nulla ejus est necessitas vel utilitas; ergò superfluit: probatur ant. si esset aliqua, maxime, ut causa secunda non impediatur in agendo, sed hæc non est, ergò: ma. est Adversariis probatur min. Per hoc, quòd Deus simul coagat, scit se non facturum miraculum, per quòd impediretur causa, nec ejus concursu supposito, poterit alia causa fortior impedire actionem; ergò nulla necessitas vel utilitas. Deinde illa qualitas, licet admitteretur, non est adhuc sufficiens, ut impediatur miraculum, quia non repugnat, quò minus posita illa qualitate Deus adhuc possit suspendere effectum, cum sit quid posterius ad illam qualitatem. Sed in contra

Arguitur: Causa secunda non agit nisi in quantum mota est à prima, ergò recipit aliquam motionem à prima, & consequenter aliquid prædeterminans eam ad agendum. Ad hanc objectionem multipliciter responderi potest & solet, attamen omnibus aliis omnis distinguo ant. Causa secunda non agit nisi mota à prima, concomitanter, concedo ant. antecedenter, & prædeterminando per impressionem alienius qualitatis, nego ant. & consequentiam utramque: Quia causam secundam moveri, vel excitari ad agendum, aliud non est, quam quòd sicut entitatem, ita etiam virtutem ad agendum à prima causa acquisierint, quam conservat & simultaneè concurrendo applicat ad agendum.

Instatur: Si Causa prima non prædeterminat actionem causæ secundæ, eam preveniendo, non potest explicari, quomodo causa secunda possit dici subordinata ad primam, ergò: probatur ant. quando duæ causæ partiales concurrunt ad effectum aliquem productum simul, non dicuntur sibi invicem subordinari; ergò si causa prima simpliciter & simultaneè concurrat, non poterit dici Causa subordinans: probatur consequentia: Quia causa prima nihil aliud haberet præsecunda, quam quòd hæc dicat dependentiam ad illam in agendo, sed hanc dicunt etiam causæ partiales, & tamen non dicuntur sibi subordinatæ; ergò nec inter causam primam, & secundam subordinatio explicari posset, nisi admittatur aliqua prædeterminatio. & negando ant.

cum consequentia probationis, & ejusdem prob. ma. Quia quod causa secunda dicitur subordinata ad Primam, non est propter solam & nudam dependentiam in agendo, sed etiam tum, quia causa secunda nihil potest agere, nisi coagente causa Prima, quod non currit de duabus causis partialibus, quarum, licet una non agat, saltem altera potest aliquid agere, imò etiam aliquando potest, & producit sola totum effectum, ut patet, si duo equi trahant unum currum non multum oneratum, quem uterque equus trahit, & quilibet est causa partialis, & tamen contingit, quod etiam unus equus possit illum currum trahere, non sic autem est in causa secunda, respectu Primæ: tum, Quia subordinatio ex alio capite provenire, videlicet, quia causa prima non modò influit in effectum causæ secundæ, sed etiam in ipsa actionem ejus, quod non evenit in causis partialibus.

Urgetur: Causa prima non tantum concurrat ad effectum producendum, sed etiam simul influit in actionem causæ secundæ, ut dicit posterior responsio, sed hoc non potest facere, nisi pradeterminando, ergò, probatur mi. quia concurfus Dei in actione causæ secundæ est prior, & illam causans, ergò concurfus ille causans actionem causæ secundæ pradeterminat causam secundam ad agendum. R. negando mi. quia, licet concurrat ad actionem etiam, & ad effectum simul, non facit tamen hoc nisi postquam causa secunda seipsam determinavit ad agendum, cum enim concurfus dicitur, necessariò admittendum est aliquid, cujus dicitur concurfus, si enim nihil esset, cum quo concurreret, frustra diceretur concurfus, sed potius deberet dici simplex actio, vel productio.

Dico 2. *Deum cum causis secundis liberè agentibus non concurrat concursu suo, vel per aliam qualitatem impressam pradeterminando.* Hæc à fortiori est Authorum, negantium omnem pradeterminationem, si enim causæ necessariæ, & naturales non pradeterminantur, multò minus pradeterminari poterunt causæ liberæ: Et

Probatur primò: Omnibus illis auctoritatibus Sacræ Scripturæ, quæ liberum hominis arbitrium insinuant, ad agendum bonè, vel malè in determinationem, ad bonæ & æternæ vitæ consequentiam, meritorum remunerationem, peccatorum punitionem, pœnarum comminationem, & similia, quæ omnia frustra fierent, & à Deo adhiberentur, si voluntas nostra, & causa libera, per aliquam qualitatem impressam pradeterminaretur, si enim pradeterminatur, facere debet omne id, ad quod sic pradeterminatur, seu bonum illud sit, seu malum, nec culpari poterit, si bonum non fuerit, quia aliud facere nequivit, unde etiam gratis improperaret Deus peccatori, se vocasse, & eum renuisse, extendisse manum, & non fuisse, qui respexisset. Non adduco autem ipsos sacre Paginæ textus, tum, quia obvii sunt; tum, quia Theologi id fufissime præstant: Abs re tamen non erit, sed proposito maxime conformem conclusionem roborare auctoritate sanctorum Patrum & Doctorum nostrorum, ex quibus

Probatur Conclusio secundò:

VIII.

Nam D. Augustinus integros scripsit libros de gratia & libero arbitrio, eamque non destrueret docet nec pradjudicare ipsi præscientiam Dei, nam lib. 3. lib. arb. cap. 3. ait: *Attende, quæso, quantà cœcitate dicitur, si præcivit Deus futuram meam voluntatem (id est, consensum) quoniam nihil aliter potest fieri, quam præcivit, necesse est, quod velim, quod præcivit ille: si autem necesse est, non jam voluntate, sed necessitate me id velle fatendum est. O stultitiam singularem! Quomodo ergò non potest aliter fieri quam præcivit Deus, si voluntas non erit, quam voluntatem futuram ille præcivit? Et in Psalmum 140. Non enim quia tu prænuntiasti, tu fecisti. Et Hoc prædixerat Dominus, non præceperat, non cogitavit. Viden? quomodo, licet Deus præsciat futura, ideò necessariò non fieri, & quod si fierent necessariò, non fierent voluntate, quod autem fit per pradeterminationem, necessariò fit, ergò. D. Bernardus etiam integrum tractatum de viginti capitibus composuit, de gratia & libero arbitrio, in quo per totum pulchra & mira dicit de gratiæ necessitate ad opera meritoria, nunquam tamen admittit eam libertati humanæ pradjudicare, aut eam necessitate ad aliquid opus; Ex plurimis paucos adjungo textus, & statim capite primo, omne meritum ex gratia fieri necesse esse demonstrans ait: *Quod ergò à solo Deo, & soli datur libero arbitrio, tam absq. consensu esse non potest, quam absq. gratia danti, & ita gratiæ operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est, dum salvatur. & cap. 2. demonstrat, rationem non posse necessitare voluntatem, nec quidquam aliud, quoniam cum necessitate non subsistit libertas, sic enim loquitur: Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quod minus liberè pro arbitrio sese volueret, sive in malum consentiens appetitus, aut nequam spiritus, ut sit animalis, non percipiens, vel certe persequens ea, quæ sunt spiritus Dei (id est gratiæ) sive ad bonum gratiam sequens, ut fiat spiritus, quæ omnia dijudicans ipsa minime judicatur. Si, inquam, horum quodlibet ratione prohibente voluntas non posset, voluntas jam non esset; Ubi quippe necessitas, jam non voluntas, sed sublimo ego: pradeterminatio Physica necessitatem infert operandi, ergò destruit libertatem & voluntatem, ergò non est admittenda. Quoniam ut Mellissius pergit, *Si ex necessitate, & absq. consensu propriæ voluntatis mala bonæ fieri possent, rationali creatura, aut misera profectò esset, aut nullâ ratione deberet, aut beata penitus esse non posset, cui nimirum in utraq. parte id deesset, quod solum in ea miseris, sive beatitudinis capax est, id est, voluntas. Cæterum, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo pacto, vel bonum ei vel malum imputatur? Excusat nempe utrumq. necessitas. Porro ubi necessitas, ibi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec judicium; Excepto sanè per omnia originali peccato, quod alim const. habere rationem; De cætero quidquid hanc non habet, voluntarii consensu libertatem, proculdubio & merito caret, & judicio. Sed si pradeterminaretur, non haberet voluntarii consensu libertatem, ergò nec deberet mereri, nec demereri, quæ omnia fidei repugnant. Adde adhuc alium lo-***

cum ex capite undecimo, ubi probat libero arbitrio nihil derogari per gratiam trahentem, nec per tentationem impellentem, dicit enim: Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo e.g. liberam facit voluntatem, cum nec bonus quipiam, nec item malus dici debeat, aut valeat esse, nisi volens. Hæc sanè dignitatis prærogativa rationalem singulariter creaturam conditor insignivit, quod quemadmodum ipse sui juris erat, suæque ipsius voluntatis, non necessitatis modò turis in hac parte existeret, quatenus non nisi sua voluntate, aut mala fieret & iuste damnaretur: aut bona maneret & merito salvaretur; non quod ei propria esset sufficiens ad salutem voluntas, sed quod eam nullatenus sine sua voluntate consequeretur; Nemo quippe salvatur invitum. Nam quod legitur in Evangelio: Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, item in alio loco; Compelle intrare, nihil impedit: Quia profectò quotocumque, compellere, vel trahere videatur, ad salutem, benignum Pater, qui omnes vult salvos fieri, nullum tamen iudicat salute dignum, quem antè non probaverit voluntarium. Hoc quippe intendit, dum terret, aut percussit, ut faciat voluntarios, non salvet invitos, quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem. Quæ doctrina tam clara est, tamquæ sublimis, ut, licet gratiæ necessitatem agnoscat, eam tamen impellere voluntatem, minùs prædeterminare non aſſerat. Quare si Idem Mellifluus Doctor, tum in hoc libro, tum alibi docere videatur, Gratiam Dei omnes nostros prævenire conatus, omnes actiones, aut eam omnia in nobis operari, aliud non vult, quàm gratiam ad opera meritoria vitæ æternæ esse necessariam, quæ quidem operationes nostras prævenit, maxime si prima sit, vel excitans, non tamen impellit, vel prædeterminat, cum sit in nobis ante nostras actiones, cui liberè consentimus & cooperamur, ut pessimus non cooperari, & frequentè contingit, ut homines gratiæ Divinæ etiam sufficienti non cooperentur, licet eam habeant, prædeterminationi autem voluntas non potest non cooperari, sed eâ positâ necessariò sequitur effectus.

IX.

Probatur Conclusio, Ratione delumpta, tum ex dictis sanctorum Patrum, tum ex definitione libertatis, & causæ liberæ, quod scilicet sit Ea, quæ, positis omnibus requisitis, potest agere vel non agere. Voluntas debet positis omnibus requisitis ad agendum posse agere & non agere, sed si prædeterminatur, non posset non agere, ergò tolleretur voluntatis libertas, quod est contra sanctos Patres suprâ, probatur. mi. quia prædeterminatio Physica, secundum Thomistam est qualitas, quâ positâ non potest, non poni effectus, ergò si prædeterminaretur voluntas, non posset non agere, & consequenter necessariò ageret, quod est contra Concilium Tridentinum sess. 6. can. 4. ubi hæc habet: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo, ad obtinendam justificationis gratiam, se disponat ac præpararet, neque posse dissentire, si velit, anathema sit, ergò secundum Concilium Tridentinum, dum homo excitatus cooperatur, non necessariò cooperatur, & con-

sequentèr non habet illam qualitatem prædeterminantem.

Dices: Concilium loqui in sensu diviso, ita, ut homo possit dissentire, antequam habeat illam qualitatem; motionem & excitationem, non verò in sensu composito, quatenus subest illi motioni. Sed Commune est hoc Thomistarum effugium, quare communi solutione ei quoquæ obviandum; quare respondeo Contrâ Primò, Illa verba Motum, excitationem, &c. non important sensum divisum, sed compositum, ac si diceret: Voluntatem jam motam & excitatam posse dissentire, si velit, alioquin Concilium nil proficeret contra hæreticos, asserentes, gratiam tollere liberum arbitrium, quos tamè damnabat, nam tunc sensus esset, quod voluntas & homo, dum gratia non est, habeat liberum arbitrium, adveniente verò, quod tollatur, quod esset in sensu composito, nec meliùs hæreticis favori posset, qui vix aliud voluerunt, cum tam stolidi vix concipi possint, ut negent liberum hominis arbitrium sine gratia, aut gratiam, quæ nondum est, illud tollere posse, cum nihil aliud tollat, & destruat, nisi illud ipsum existat. Contrâ secundò facit, quod hæc Enasio ipsa Thomistarum principia destruat; Quia si liberum arbitrium & voluntas libertatem habet ponendi suum effectum in sensu diviso, seu antecedenter ad Dei motionem, sequitur, quod antecedenter ad istam motionem possit ponere effectum, si velit, & sic motio non erit necessaria. Verè difficile est, cum hac sententia liberum reconciliare arbitrium, relinquere tamen eam in sua probabilitate, unde ab ulterioribus impugnationibus, & exaggerationibus superſedeo; Qui plures probationes pro nostra sententia desiderat, assumat positas pro priori Conclusionem. Verum in contrâ

Arguitur: Quod ex se est indeterminatum, non potest producere effectum determinatum, voluntas creata est ex se indeterminata, ergò ipsa nulli poterit producere effectum determinatum, ergò ut operetur, ab alio determinari debet, & consequenter dabitur in causis liberis prædeterminatio. Sed R. negando mai. Quia per hoc distinguitur causa libera à necessaria, quod ad operandum sit indifferens, & indeterminata, & tamen possit producere effectum determinatum, nam quemadmodum illa movet alias potentias ad agendum, inque imperat, sic potest seipsam quoquæ determinare, quando, vel ubi voluerit, quod si hoc voluntati negetur, negandum etiam esset Deo & asserendum, quod etiam deberet ab alio determinari, quod minùs rectum esset sentire, quod tamen sequeretur, probo; Quia Deus ad creandum mundum fuit indifferens, sed quocumquæ est indifferens ad operandum, debet determinari ab alio, ut vult major, ergò Deus debuit ad mundi creationem ab alio determinari.

Instatur: Scotus in 4. d. 49. q. 6. §. Dico. ait: Non esse contra naturam voluntatis, quod determinetur à causa superiori. R. Dico. quod aliud non velle, quàm, quod non sit contra voluntatis libertatem, quod dependeat & sub-

& subordinetur causae Primae in agendo, non verò intelligit aliquam qualitatem impressam.

Urgetur: Illa dependentia non est aliud, quam Causae primae influentia in voluntatem, sed influentia non est aliud, quam praemotio, ergo si in voluntatem Deus influit, eam praemovet & determinat. R. negando mi. quia illa influentia non est aliud, quam simultaneus Dei concursus cum causa libera, sicut & necessaria, de quo concursus fit

QUAESTIO IV.

An Concurfus Dei cum Causis secundis, seu liberis, seu necessariis fit determinatus?

Sensus quaestionis est, an, quando Deus concurret cum causis secundis ad suos effectus producendos, per suam volitionem, illa volitio sit indifferens, ut, sicut eam mediante concurret ad hunc effectum producendum, verbi gratia, calorem, ita etiam eam mediante possit concurrere ad alium effectum, verbi gratia, ad frigus, si aliae causae secundae applicarentur, vel, utrum sit determinatus ita, ut concursus quo concurret ad producendum ignem, non sit concursus ad producendam aquam. In qua materia jam dudum praescripsit Opinio Scoti assentientis & docentis: Concursum, quem Deus influit cum causis secundis in eorum effectus determinatum esse, Contra Neutrillas, qui ad salvandam libertatem voluntatis varios excogitarunt modos, maxime tamen putant, illum concursum esse indeterminatum & indifferenter, quodammodo genericum & suspensum, determinabilem per causam secundam, modo ad hunc, modo ad illum, quod quam consequenter adstruant, patebit mox ex probatione prima contra eos ad hominem. Unde

Dico: Concurfus Dei cum causis secundis, seu liberis, seu necessariis, ad suos effectus, absolutus est & determinatus. Ita Scotista communiter. Et

Probatur primo contra Neotericos ad hominem arguendo: Actio Causae secundae, sive liberae, sive necessariae, est determinata ad suum effectum, dum agit, ergo etiam concursus Dei: ant. patet. Quia Actio ignis est ita determinata, ut per eam non possit produci aqua, vel lapis, actio oculi, ut non possit producere auditionem & auri visionem, & sic de aliis: probatur consequentia: Actio Creaturae est concursus Dei, secundum Neotericos, & concursus Dei est ipsa actio Creaturae & causae secundae, sed actio causae secundae est determinata, ergo, si concursus non est aliud, quam actio creaturae, ut dicunt Ipsi Adversarii, sicut actio creaturae est determinata, ita etiam concursus Dei erit determinatus. Sed

Probatur Conclusio secundò, directe: Causa secunda nullum effectum potest producere, nisi Deo concurrente, ergo concursus Dei est determinatus; probatur consequentia; antecedens fatentur etenim Adversarii, si concursus Dei non esset determinatus, causa secunda posset producere aliquem effe-

ctum absque eo, quod Deus concurreret, sed &c. ergo. probatur sequela ma. Titius, verbi gratia, habens concursum indeterminatum ad amandum vel odiendum, potest eligere odium, & ad ipsum determinare se, sed hoc fieret, sine concursu Dei, ergo, si concursus non esset determinatus, posset causa secunda producere aliquem effectum absque concursu Dei, quia certum est, quod illa determinatio ad amandum sit aliquis effectus causae secundae: probatur mi. quia Deus non determinaret, sed ipse Titius.

Probatur tertio: Si Concurfus Dei non esset determinatus, quo concurret ad effectus causarum secundarum, sequeretur, Causam Primam non distingui à secunda in dependentia, sed hoc minus pie asseritur, ergo. probatur mi. Causa secunda ea est, quae dicit necessarium respectum & ordinem ad Causam Primam, sed Causa Prima diceret etiam talem necessarium respectum & ordinem, ergo non distingueretur Causa Prima à secunda: prob. mi. quia Concurfus Causae primae nihil potest efficere, nisi determinetur per secundam, ergo prima dicit tam necessarium respectum & ordinem ad secundam, sicut haec ad illam, & consequenter non distinguuntur à se invicem in dependentia. Valeat haec probatio, quantum potest. In contra

Arguitur: Si concursus Dei esset determinatus, tolleretur libertas in homine, sed hoc dici nequit, ergo, probatur mi. quia posito illo determinato concursu, necessario ponetur effectus, ergo: R. negando ma. cuius probationis ant. distingo: necessario ponetur effectus, necessitate antecedente & absolutà, nego ant. necessitate consequente, & secundum quid, concedo ant. & consequentiam nego. Ille autem concursus non esset antecedens, adeoque nec inferret necessitatem antecedentem. Quid autem sit necessitas antecedens & consequens, suppono ex saepe dictis. Verum

Instatur: Volitio Divina & decretum absolutum, quo decernit futuritionem effectus, antecedit determinationem voluntatis creatae, ergo, si eo posito non potest non poni effectus, tollitur libertas etiam ex antecedente, probatur ant. quia illa volitio est ab aeterno, sed quod est ab aeterno, antecedit omne illud, quod est in tempore, ergo. R. dist. ant. Antecedit illam determinationem voluntatis creatae ita, ut ratione antecessionis habeat majorem influxum in causam secundam, quam, si non antecederet, nego ant. ex ratione Deitatis, quae omnia sua decreta ab aeterno habere debet, ratione infinitae immutabilitatis, concedo ant. & nego consequentiam. Ad probationem ma. dico, volitionem Dei ab aeterno esse, in quantum facit cum volentem producere effectum ab aeterno, non tamen, prout Ipsum denominat producentem in tempore.

Sic ordinariè solvitur haec difficultas, an autem sufficienter, ingenuè fateor, me non capere vel penetrare, quomodo cum quocunque concursu Dei possit salvari libertas indifferentiae voluntatis nostrae, quia, si Deus con-

IV.

V.

Argumentum in contrarium.

concurrit cum causa secunda actualiter, quod concursus secundum Etymon importat, tunc causa secunda necessario debet agere, quia alioquin non esset concursus, sed simplex efficientia; in concursu enim semper debet esse, cui concurratur; Si dicatur autem, Concursum tunc agere, quando causa secunda seipsam determinat, nihil dicitur, quia illa determinatio est aliquis effectus causae secundae, ergo non potest hunc habere, nisi Deus concurrat. Si etiam accipiatur alia via, quod tunc concurrat De^o, quia videt causam secundam se determinatam ad agendum, non evadit difficultas, quia omnis causa, habito actuali Dei concursu se determinat ad agendum, ita, quod seipso nequeat agere, nec se determinare ad agendum, imò sic videtur in Dei scientia causam secundam non posse agere absque concursu. Verè res perdifficilis, melior credo quod solutio non sit, quam captivare intellectum. Una adhuc alia restat difficultas hic explicanda, pro qua sit

QUAESTIO V.

A qua Causa proveniat determinatio Effectus, quoad speciem, & etiam quoad Individuum.

I.
Res est intricata.

Intricatissima hæc est quaestio, quæ æqualem difficultatem apud omnes habet, quomodo concursus Dei explicent; Sensus ejus est, quando Ignis producit alium ignem, qui vocaretur ignis A, quisnam determinet ignem, ut producat alium ignem, quæ determinatio vocatur secundum speciem, & quis determinet, ut producat ignem A potius, quam ignem B. C. vel D? cum omnes illos, & quodammodo infinitos producere possit, similiter currit difficultas de causa libera, quæ determinat seipsam ad amorem proposito objecto Amabili, quod tamen eliciat postmodum magis Amorem M. quam N. O. vel Z, unde provenit? quæ sunt determinationes quoad individuum, quia præcisè nihil aliud respiciunt, quam nudam hæcitatatem. In qua Materia Plures sunt sententiæ, aliqui enim hanc determinationem adscribunt rerum ordini, aliqui tempori, alii circumstantiis, alii ipsis Causis secundis. Alii aliter; Ego tamen

II.
Quomodo causa naturales determinentur.

Dico I. Quando cause secunde naturaliter agentes sunt indeterminatæ ad plures specie effectus, tunc secundum speciem determinantur ad unum certum per concusas, vel concurrentes dispositiones. Ita colligitur ex Scoto I. d. 3. q. 7.

Probatur cum Eodem. Quia materia suscipit potius hanc formam A, quam formam B, quia habet concusas, quæ sunt naturæ producere formam A potius, quam formam B. Item intellectus nunc producit hanc potius intellectionem, quam illam specie differentem, ex hoc, quod hoc objectum concurrat cum eo, & non aliud: Similiter Sol producit, & concurrat modo ad producendum hominem, & modo ad taurum, vel canem, quia jam determinatur per hominem, jam per taurum, vel canem; Deinde in lacte producit dulcedinem, in absychio amaritudinem, quia jam

determinatur per hanc concusam, jam per illam, ergo quotiescunque causæ naturaliter agentes sunt indeterminatæ ad plures specie effectus producendos, tunc quoad speciem determinantur per suas concusas, & concurrentes dispositiones.

Dico 2. Causa secunda naturales, que non sunt indeterminatæ ad plures specie effectus, determinantur per se ipsas, quoad speciem effectus. Hæc etiam est communis.

Probatur, Quia ignis, habitis omnibus requisitis ad agendum, ex se est sufficiens, ut agat, ergo ex se est determinatus ad speciem effectus sui. Nota autem, dum dico, quod causæ naturales se determinent ad suos actus, me non velle aliud, quam, quod ex se sint determinatæ, eo ipso etenim, quod ignis existat in rerum natura, extra suas causas virtute naturali agit, ut alium ignem producat, ergo est ex se determinatus ad producendum alium ignem, similiter discurrere, & dic de aliis causis.

Dico 3. Causa secunda libera determinat seipsam, quoad speciem actus sui.

Probatur. Quia per hoc distinguitur causa libera à necessaria, quod illa possit, proposito objecto, agere & non agere, imò si objectum sit indifferens, illud amare vel odire, hæc verò necessario agat positis omnibus requisitis ad agendum, ergo quod modo agat, modo non, modo amore, modo odium eliciat, in ipsam causam secundam liberam refundendum est.

Dico 4. Determinatio effectus, quoad individuationem cause secunde tam libera, quam necessaria à sola Causa Prima provenit. Ita Scotus communiter & Recentiores Contra Thomam, Fabrum, Franciscum de Raconis, Vasquezem, & alios.

Probatur primò: Si causa secunda posset seipsam determinare, quoad individuum effectus, non esset ratio, cur effectus semel destructus, naturaliter non posset iterum produci, ergo necessario dicendum est, determinationem istam dependere à Deo: probatur ant. Quia effectus semel productus & destructus, tam à nihilo distat, quam ille, qui nunquam fuit productus, est quæ tam possibilis, ut iterum sit, ac si nunquam fuisset, ergo si secunda posset se determinare, quoad individuum, deberet etiam posse naturaliter reproducere effectum semel jam corruptum, quia posset se ad illum determinare, ergo, quod naturaliter fieri non possit, signum est, quia causa secunda nequit se determinare, quoad individuationem.

Probatur secundò Ad hominem, Quia Nihil congruentius potest assignari, quod determinet causam secundam, quoad individuum, quam causa Prima, ergo sic dicendum est; probatur ant. quia si esset aliquid, maxime circumstantiæ objecti, loci, temporis, &c. sed ab istis non potest provenire determinatio, quoad individuum, ergo ma. est Advers. probatur mi. non ex objecto, quia sicut agens est indeterminatum, & indifferens, ad plures effectus

fectus producendos, ita etiam subjectum ad plures recipiendos, verbi gratia, sicut calor est indifferens, ut producat potius hunc numero calorem, quam alium, ita etiam subjectum est indifferens, ut tam recipiat hunc calorem, quam alium, ergo ex subjecto non potest provenire determinatio quoad individuum. Nec etiam à loco, quia locus non est activus, & etiam de se indifferens, ut producat hic effectus numero, quam alius, cum in eodem loco jam producat hic, jam ille, & jam tertius numero effectus, ergo locus non potest esse ratio determinativa, quoad individuum. Nec denique tempus, quia nulla planè est connexio temporis cum effectu, quod patet ex eo, quòd si homo, qui productus fuit heri, produceretur hodie, idem esset homo, & mundus, qui nunc idem esset, licet esset tardius vel citius productus; Idem etiam esset Angelus, licet produceretur in Aprili vel Novembri, ergò, tempus nullo modo potest causam determinare, quoad individuationem; Quod ulterius confirmatur, quia, si tempus determinaret ad individuationem, sequeretur, quod Deus non posset aliter facere, sed deberet hominem hodie producere, quia tempus hodiernum determinat causam secundam ad hunc hominem producendum, imò ulterius via aperiretur omnibus, vitam, mortemque, morbos & sanitatem in tempus refundendi, si enim quaeratur, quare hic homo hodie natus sit? responderi poterit, quia tempus determinavit: Quare mortuus? quia tempus determinavit: Quare sanus? quia tempus determinavit: Quare ignis combusserit hunc, vel illum? quia tempus determinavit. Et sic dicam, quod ideo ignis Babylo-nicus non combusserit pueros, quia tempus non determinaverat; quod absurdum est, & magnam mysterii fidei injuriam infert, sicut & omnia alia. Verum.

VI. Dices: Nullam quidem circumstantiam ex relatis per se, separatim sumptam, sufficere ad determinandum causæ effectum, quoad individuum, bene tamen, si omnes conjunctim sumantur. Sed Contra I. Si se solis, & separatim sumptæ, non sufficiunt ad determinandum effectum, quoad individuum, ergò nec sufficienti conjunctim accipiuntur; quia per hoc, quòd copulativè sumantur, nihil additur eis de virtute majori intrinseca ad determinandum, quod patet in eo, quòd in aliquo effectu singulari inveniantur omnes illæ circumstantiæ, & tamen non sit idem effectus, nam Angelus, qui heri movit Cælum, verbi gratia, fidereum, potest illud etiam hodie movere, quo factò est idem Motor, idem motum, & idem locus, in quo motus sit, & tamen non est idem motus: ergò potest haberi combinatio illarum circumstantiarum, sine eo, quòd habeatur idem numero effectus, nec refert, quòd hic non sit etiam tempus, quia ipse motus Cæli est tempus extrinsecum. Sed

Probatur Conclusio tertio.

Omnis causa, quæ seipsam determinat quoad aliquem effectum in individuo, debet posse habere electionem, sed nulla causa secunda naturalis potest habere electionem, ergò nulla causa potest se determinare, quoad individua-

F. Amanat Hermann Physica.

tionem: probatur mi. quia omnis electio debet fieri ex præcognitione. Verum hoc argumentum non probat universaliter Conclusionem, sed tantum de causis naturaliter agentibus, quare agendo etiam de Causa libera

Probatur quarto. Si Causa secunda

VIII.

libera posset se determinare ad effectus individuationem, hoc deberet facere per electionem, sed per electionem non potest se determinare, ergò nullo modo; probatur mi. quia ad electionem eliciendam tam bene est indeterminata, quam ad ipsam actus individuationem, ergò per electionem non potest se determinare: probatur ant. quia ideo non potest se determinare ad individuationem actus, quia potest habere infinitos quasi actus, sed etiam potest habere infinitas electiones circa eundem actum, ergò eodem modo est indeterminata, & consequenter per electionem non poterit se determinare, quia illa electio iterum per aliam, & ista alia per quartam, & sic in infinitum. Confirmatur hoc argumentum priori probatione, quia nequè voluntas potest præcognoscere, maxime pro hoc statu, singula individua, & unum ab alio discernere, secundum se, quod patet in duobus ovibus, quorum neutrum præaltero distinguit, si accidentibus inter se non distinguantur, ergò non potest unum præ alio potius velle. Sed in contrà

Arguitur I. Causa secunda determi-

IX.

Argumentum in contrarium primam.

nat se quoad speciem, ut dictum est prioribus Conclusionibus, ergò etiam determinat se quoad individuationem; probatur consequentia, quia gradus individualis non distinguitur à gradu specifico, ergò si causa secunda determinat se quoad speciem, determinabit etiam se quoad individuum. Hic debet esse Achilles pro Contraria sententia, sed si quid evincit, æqualiter ipsi Adversariis est elaborandus, Nam si causa se determinat quoad speciem, poterit etiam se determinare quoad individuum, & consequenter non erit necessè, ut determinetur per circumstantias loci, temporis &c. & negando consequ. Quia causam secundam determinari ad speciem, aliud non est, quam si applicetur posse producere effectum aliquem, verbi gratia, si ignis applicetur ad passum, poterit producere alium ignem, vel calorem ex omnibus ignibus & caloribus, qui sunt posibles, quòd verò hunc producat numero potius, quam alium ex tota collectione ignium, refunditur in Causam primam, quæ non vult concurrere nisi ad hunc, & non ad alium, quare pro aliquo priori Deus concurret cum causa secunda, ut similem specie effectum producat, pro posteriori ad individuationem, ut hunc producat & non alium.

Instatur: Dantur multi effectus, qui ab

hac numero causa petunt produci, ut non possint ab alia, ergò saltem in tali casu determinatio quoad individuum non debet refundi in causam Primam: probatur ant. Quia species omnes intentionales ita volunt produci à suis objectis, ut objectum non possit producere alterius speciem, verbi gratia, albedo A ita tantum producit sui speciem impressam, ut non possit producere albedinis B. vel C. minus quòd possit producere speciem

L II rube.

rubedinis, vel nigredinis. R. negando consequentiam: Aliud est enim dicere quod aliqui effectus petunt determinatam causam, aliud, quod hæc determinata causa producat hunc numero potius effectum quam alium, sic quidem verum est, speciem Albedinis A non peti, nec posse produci nisi ab albedine A, verumtamen Albedo A, sicut hanc numero speciem produxit, potuit producere alias, quæ possibiles sunt, ut producantur, quare, ut hanc potius produxerit quam aliam, Deus determinare debuit. Similiter Responderi debet ad alia argumenta, & casus, qui probarent particulares effectus dependere à determinatis causis, quia, licet ipsi sic dependeant, quod tamen unus numero producatur potius quam alius, non causa secundæ, sed primæ adscribendum est.

X.
Secundum.

Arguitur 2. Si Causa secunda non determinaret se, quoad individuationem effectus producendam, sequeretur, nullum filium esse obligatum suis parentibus, sed hoc videtur minus rectum esse sentire, ergo; probatur sequela: Quia quilibet filius dicere posset, parentes se non genuisse, sed tantum hominem secundum speciem, non verò hunc hominem, ergo. R. negando sequelam cum sua probatione, Quia parentes etiam generarunt hunc filium, & non tantum filium secundum speciem, aliud autem est generare & producere quoad individuum, & aliud se determinare ad illud producendum, primum enim præstant causæ secundæ omnes, cum nihil produci possit, nisi sit individuum, actiones enim, sicut sunt singularium, ita etiam sunt ad singularia.

Instatur: Si parentes non determinarunt se ad producendum hoc individuum filii, ergo hic in individuo filius non est plus obligatus his parentibus, quam alienis, sed sequela etiam vitiosam doctrinam inferret, ergo; probatur sequela, quia actio generativa parentum non est magis determinata ad hunc filium quam alium, ergo non magis erit obligatus his

parentibus, quam alienis. R. negando sequelam ma. cum sua probatione & consequentia, quia actio parentum etiam fuit terminata ad hunc numero filium, quamvis ex se non poterat se causa secunda determinare adhuc potius præ alio, supposita autem determinatione Divinâ, actio tota fuit terminata adhuc etiam terminum.

Urgetur: Non est obligatus ad illa quæ à natura & Deo habet, ergo si determinationem sui individui præcisè à Deo habet, Parentibus non est obligatus; probatur aut. Quia Filius non est obligatus parentibus ob illud, quod per donationem acquirit ab aliis, ergo. R. negando consequentiam, quia filius suum esse accepit simpliciter à parentibus, quamvis non debeat filius tantum parentibus, quam si seipsum determinassent ad hunc producendum præcisè, & non alium. Imò non desunt, qui putant, filios propter generationem parum obligatos esse parentibus; si autem opponatur præceptum Divinum de honorandis parentibus, respondent, hanc reverentiam filios non tenere parentibus solum præstare, sed etiam Præpositis superioribus, unde obligatio non est propter generationem præcisè, sed quia dignitate filii præstant; Imò puto hoc potissimum esse propter curam, sollicitudinem, laborem, & difficultates, quas parentes habent in navitate, educatione, aliisque bonis, quæ filius à parentibus proveniunt.

Difficultas: Quomodo Deus determinet ad individuum actus, & non determinet etiam ad peccatum, solvi potest ex dictis. Quibus adde, quod Deus non determinet positive impellendo, vel moraliter suadendo, sed negative solum, subtrahendo scilicet concursum ad omnes alios actus, ad modum, quo quis vellet proficisci Cistercium, & alius auferret ipsi equum A. B. C. tunc deberet pergere in equo D. cò, quod alium non haberet, ubi tamen non esset causa subtrahens, quod pergeret simpliciter, sed quod non pergeret alio equo.



DISPUTATIO VI. DE COLLATIONE CAUSARUM, TAM INTER SE, QUAM CUM SUIS EFFECTIBUS.

Per collationem causarum inter se & cum suis effectibus aliud non intendo examinare, quam difficultates illas exsolvere, qua oriuntur ex dubiis, an idem effectus possit dependere à duabus causis totalibus? & an dua cause seinvicem causare possint? vel etiam aliquid seipsum? & ab hoc posteriori incipiendo ad rem progredior, sit igitur

QUÆSTIO I.

An idem seipsum producere possit?

I.
Sensus Modernorum.

Recentiores quemadmodum docent causas intrinsecas, materiam & formam non esse quid distinctum à toto composito, quod causant, ita etiam putant nec in causis extrinsecis tantam esse effectus subordinationem

ad causam, secundum prioritatem & existentiam, quin idem seipsum efficienter causare possit, & consequenter esse simul causam & effectum, quod dupliciter intelligi potest, primo ita ut idem seipsum producat, quantum ad primum sui esse, ponendo se in rerum natura, secundo modo, ita, ut primum sui esse jam habeat per unam actionem, & postmodum per aliam actionem secundam posteriorem, sicut defacto

Christus Dominus in caelo est, & per aliam actionem concurrat etiam, ut sit Eucharistia, quae licet defactò sit tantum conservativa, ex eo, quod non accipiat de novo esse extra causas, quae actio, si tamen antecedenter non esset extra causas, sufficiens esset, ut extra eas poneretur; Ego quamvis docuerim superius causas intrinsecas, non distingui ab illo, quod in communi alioquin Scotistarum sententia componunt, toto composito videlicet, existimo tamen de causis intrinsecis, & signanter de efficiente (quidquid enim sit de finali, quae non nisi moraliter influit in effectum) id simpliciter negandum, quare ad quaestionem resolutivè

tre, imò in Deitate non esse Personarum Trinitatem, sed hoc haereticum esse, certum fide est, ergò probatur sequela; Quia protervus dicere posset, Patrem semetipsum genuisse, sicut etiam Filium, & illarum trium Personarum nomina unius esse suppositi, quòd se Ipsum bis produxit, seu genuit semel, & semel spiravit, ergò posset protervus negare Trinitatis Mysterium. Et quamvis bene respondeat Amicus, id in Deo implicare, quia Deus est incapax novae, vel ullius causalitatis, & Filium esse incapacem alterius generationis: Attamen per hoc protervum non convinceret, quia dicere posset, Deum esse incapacem alicujus causalitatis ab alio, non tamen à seipso, & Filium esse incapacem alterius generationis à Patre, non tamen seipso. Et sic de cæteris.

Dico: Nulla causa potest seipsam producere

efficienter, neq; quoad primum sui esse, neq; quoad secundum. Ita Doctor 2. d. 23. q. un. D. Thomas. p. I. q. 104. a. 2. ad. 2.

Probatur primò, Authoritate Divi

Augustini. lib. 2. de lib. arb. cap. 17. ubi ait: Nulla res formare seipsam potest, quia nulla res potest dare sibi, quod non habet, & utiq; ut habeat formam, formatur aliquò. Quapropter qualibet res, si quam habet formam, non ei opus est accipere, quòd jam habet, si quae verò non habet formam, non potest à se accipere, quòd non habet; Nulla ergò res, ut diximus, se formare potest. & lib. 1. de Trinit. cap. 1. dicit: Nulla omnino res est, quae seipsam gignat, ut sit. Et Epist. 150. contra Arianos demonstrat, Verbum non esse factum ex eo, quòd per Ipsum facta sint omnia, ita enim dicitur: Si enim Ipse fecit, jam erat, antequàm fieret, si autem ad se faciendum, alteri, à quo factus est, adjuterium præbuit, nihilominus, ut se adjuvante fieret, jam erat, antequàm fieret, relinquitur ergò, ut sine se factus sit, quòd autem sine illo factum est, nihil est; Aut nihil est igitur, aut factus non est, sed non est nihil, factus igitur non est; At si factus non est, & tamen filius est, sine dubio natus est. Hinc etiam docet Doctor subtilis, relationes, quae important essentialem dependentiam, inter relata non posse esse in eadem natura & supposito, & relationes originis, licet non implicent in eadem natura, implicent tamen in eodem supposito. Item Authoritate Divi & Mellei Bernardi, qui id ipsum clarissimis docet verbis lib. 5. de Consideratione cap. 6. ubi sic dicitur: Ex quo universum caput, ipsum profectò minime caput. Nam si caput, aliunde caperit, necesse est. A se enim caput nihil; Nisi forte quis putaverit, quòd non erat, dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequàm esset, quòd utrumq; quia ratio non consentit, constat sibi nihil fuisse principium, ergò secundum Divum Bernardum aequè contra rationem est asserere, quòd aliquid sibi det esse, id est, quoad primum sui esse, quam quoad secundum esse, quia tunc fuisset, antequàm esset, quòd dicit, contra rationem esse. Ex qua Authoritate proinde duplex sumo argumentum à ratione, quòd

Probatur Conclusio secundò:

Si idem posset efficienter se producere, sive quoad primum esse, sive quoad secundum, sequeretur, Patrem non posse probari esse ingentum, nec Filium esse genitum à Pa-

F. Amandi Hermann Physica.

Probatur Conclusio tertio:

Ex alia ratione desumptà similiter ex Authoritate D. Bernardi: Si idem posset producere seipsum, esset, antequàm esset, sed hoc repugnat, ergò probatur sequela: Quia omne illud, quòd actualiter operatur & efficienter agit, esse debet, & quòd efficienter producit, non esse debet, sed si seipsum aliquid produceret, esset, quia ageret & non esset, quia produceretur, ergò esset, antequàm esset. Item idem esset prius & etiam esset posterius, in quantum enim sui causa esset, prius esset, in quantum verò produceretur, esset posterius, ergò idem manens idem esset prius & posterius.

Dices: Hac non repugnare, quia non

sunt respectu ejusdem, aut eodem modo, nam illud, quòd seipsum produceret, esset per primam productionem ab alia causa, non esset verò per secundam actionem à se ipso egredientem. Sed Contrà, si per primam actionem, & productionem ab alia causa accepit suum esse, ergò implicat, quòd substantialiter reproducatur per secundam, quia hæc secunda productio non haberet terminum à quo, videlicet non esse rei, cum supponatur habere jam suum esse. Et si dices, terminum à quo esse non esse secundum, nihil dices: Quia sicut hoc esse secundum, habitum per secundam productionem, non esset à primo esse diversum, secundum rem, habito per primam productionem, ita hoc non esse secundum nequit esse diversum à primo non esse, nisi secundum modum, quae diversitas non sufficit ad novam productionem substantialem.

Probatur Conclusio quarto,

Ex communi definitione Cause, quae est, quòd fit illud, quòd influit esse in aliud, sed si in seipsum influeret aliquid, non influeret in aliud, ergò non esset ejus causa, & consequenter nihil producit seipsum. Nec dicas, hanc definitionem veram esse de potentia ordinaria, ordinarioque cursu, non verò de potentia extraordinaria, quia omnis definitio debet essentialiam rei explicare, quae etiam de potentia extraordinaria immutabilis est, alioquin dici posset, hominem esse animal rationale, de potentia ordinaria, non verò de potentia extraordinaria, ex qua posset esse rudibilis, quòd implicat.

LII 2

Proba:

VII.

Probatur Conclusio ultimò
à pari. Nulla res potest esse sui ipsius subiectum, neque etiam sui ipsius forma, ergò nequit etiam idem esse sui ipsius causa efficiens. Probatur consequentia, quia, sicut se habet materialis causa ad esse alicujus materiale, & formalis ad esse alicujus formale, ita etiam se habet efficiens, ad esse efficienter à se productum, ergò.

VIII.

Dices: Disparitatem esse, quia causalitas materiæ, vel est unio, vel necessariò requirit unionem, unio autem necessariò requirit extrema realiter distincta. Contrà, Unio non magis requirit extrema realiter distincta, quam actio, cum hæc tam bene sit quid relativum, ac illud & qui negaret, actionem non requirere extrema realiter distincta, posset etiam negare unionem requirere, ergò.

QUÆSTIO II.

An dua Causa possint esse sibi invicem Causa?

I.

Sensus questionis ponitur.

Aliud est quærere, an plures cause possint in idem coincidere, ita, ut idem sit causa efficiens simul, materialis & finalis: Aliud, utrum una causa, quæ producit unum effectum, ab eodem pro instanti produci possit, ita, ut effectus ille productus habeat rationem causæ, & causa productiva hujus effectus nunc simul rationem effectus. Primum enim contingere posse, imò frequentè contingere, patet de voluntate, quæ volitionem producit eandemque recipit, idque propter sui perfectionem, vel propter aliam aliquam perfectionem, adeoque simul habet rationem causæ efficientis, dum producit rationem causæ materialis, dum recipit, & rationem causæ finalis, dum aliquid propter aliud agit, & quamvis illa receptio non habeat rationem causæ materialis ex qua, habet tamen rationem causæ materialis in qua, similiter discursi de intellectu potest, Et à fortiori de intellectu & volitione, quarum qualibet habet rationem causæ formalis, dum in sua potentia recipitur, rationem materialis causæ, dum in iis multæ relationes fundari possunt, rationem causæ efficientis autem, quia respectu habituum generatorum efficienter concurrunt, Et denique causa finalis dici possunt, respectu multorum mediorum, quæ ad ipsas possunt concurrere.

II.

Comparatio causarum potest dupliciter fieri.

Quòd secundum attinet, & est, quòd propriè in titulo quæritur, sciendum, quòd dicta comparatio inter causas possit dupliciter fieri, vel quoad entitatem ipsarum causarum, vel quoad causalitatem earundem, idque vel in eodem genere, vel in diverso: Si in eodem genere conferantur, tunc sensus est, an illa causa, quæ materialiter aliquid produxit, ab eodem effectu suo materialiter produci possit, & quæ efficienter aliquid egit, an iterum efficienter ab eodem agi possit: exemplum sit, an Ignis A qui produxit Ignem B possit ab eodem igne B produci pro eodem instanti suæ productionis, & sic de ceteris.

Si in diverso genere comparentur, tunc sensus est, an illud, quod est effectus alicujus rei in genere causæ efficientis, possit esse ejusdem rei causa in genere causæ materialis vel formalis, aut finalis; item, an illud, quod est effectus alicujus rei in genere causæ materialis, possit esse ejusdem rei causa in genere causæ formalis, efficientis & finalis, & sic de aliis, ita, ut una semper cum tribus comparetur. Quibus præmissis, Putat Vasquez, Ruvius, Connimb. & alii, unam eandemque causam posse habere rationem causæ, & respectu effectus à se producti, rationem effectus, & econtrà, ita, ut libenter admittant inter causas mutuam causalitatem. Scotifæ tamen communiter, cum pluribus Recentioribus, id simpliciter negant. Ita Hurtadus, Arriaga, Oviedo, cum quibus etiam sentendum censo, interim prius aliam collationem causarum expendendo

Dico I. Si comparentur causalitates quæ exor causarum ad se invicem, finis est causa efficiens, efficiens tam materiæ, quam forma, sed non econtrà.

Probatur breviter. Ideò enim effectus causat, quia movetur à fine, & idè educitur forma de potentia materiæ, quam formæ, licet non econtrà.

Dico 2. Comparando has causas ad effectum, secundum causalitates suas, omnes dicunt essentialem ordinem & necessariam concomitantiam ad se invicem. Ita Scotus 2. d. 5. q. 8. n. 11. ubi dicit: Efficiens non prius causare compositum, quam materiam, licet prius perfectione causæ.

Probatur Conclusio: Impossibile est, finem movere, nisi efficiens moveatur ad agendum, nec efficiens creatum moveri potest, nisi dependentèr à materiæ, cum creatè nequeat, nec potest agere dependentèr à materiæ, nisi formam producat, quæ iterum dependentèr à materiæ produci nequit, nisi illam uniat materiæ, nec uniri potest, nisi resulter compositum, cum sint causæ necessaria, sufficienter applicatæ, ergò, comparando causas ad effectum, secundum causalitates, dicunt necessariam ordinem, & dependentiam ad se invicem. Et in hoc sensu causa dicuntur esse sibi invicem causæ.

Dico 3. Materiæ & forma, non possunt se invicem causare quoad entitatem. Ita Doctor. 2. d. 12. q. 2. D. Thomas, Albertus M.

Probatur Conclusio: Materiæ est prius, saltè naturæ, quam sit forma, ergò materiæ non potest causari à forma. ant. patet, quia materiæ est primum subiectum omnium formarum substantialium, & earum causa: probatur consequentia; Illud non potest causari ab alio posteriori, quod prius illo existit, sed materiæ prius existit, quam forma, ergò forma non potest causare materiæ. Nec refert, quòd forma dicatur materiæ dare esse informatum, quia hoc esse non est entitativum, sed tantum extrinsecum, secundum denominationem: Conclusio autem loquitur de causatione, secundum entitatem.

Dico

Dico 4. Nulla duae causae sive in eodem genere, sive in diverso, possunt se invicem causare per verum influxum physicum in seipsas influendo. Ita Auctores pro sententia negativa.

Probatur primò: Omnis effectus qualitercunque productus, & in quocunque genere, praesupponit pro priori suam causam; ergò nulla duae causae possunt se invicem causare: probatur consequentia: omnis causa nequit operari, nisi prius existat, quia operari sequitur ad esse; ergò causa, quae producit effectum, nequit ab eodem produci, quia ut producat supponitur existere, nihil autem existens, sive per seipsum, sive per alium denuò producitur, si non prius destruat, ergò. Nec etiam effectus poterit produci, quia si iterum causa est respectu alterius, necessariò prius existere debet.

Probatur secundò: Si duae causae possent se invicem causare, sequeretur, quòd nullo efficaci argumento posset ostendi existentia primae causae, quae sit Deus, sed hoc est absurdum, cum Philosophi solo lumine naturae deprehenderint, esse tale principium, & Causam primam improductam, ergò: probatur sequela: Quia unicum argumentum, quo utitur etiam D. Augustinus & Bernardus supra, quo probamus existentiam causae primae & improductae, est, quòd aliquando sicuti debeat in productione rerum, in aliquo principio improducto, quod ab alio scilicet non esset, sed hoc argumentum infirmum esset & debile, ergò: probatur minus, quia dici posset, effectum illum primò productum, mutuo produxisse suam causam; ergò non esset principium, quo posset efficaciter demonstrari principium primum improductum.

Probatur tertio ex multis absurdis, quae sequerentur: Nam si possent duae causae se invicem causare, sequeretur, quòd idem esset prius & posterius, dependens & independens, existens & non existens, causa & effectus, sed ista semper pro absurdis sunt habita, ergò: probatur sequela, quia in quantum esset causa, esset prior, independens & existens, cum omnis causa existere debeat pro priori ante effectum, & hic ab illa debeat dependere; deinde esset etiam posterior, dependens & non existens, quia haec omnia sunt practicata effectibus particulariter convenientia.

Dices: Haec tantum probare, quòd duae causae in eodem genere non possint sibi esse invicem causae, non verò quòd minus possint esse in diverso. Sed Contra, sive causae considerentur in eodem genere, sive in diverso, semper currunt argumentorum rationes, nam quaelibet causa praesupponitur existere ante suum effectum, & nulla causa potest producere illud, quod jam existit, nec ulla agit, nisi omnibus ad agendum requisitis positis, inter quae principem locum obrinet existentia.

Dices: Causam non existere secundum illud esse, secundum quod per effectum suum, tanquam per causam, producitur, adeoq; cum diversum sit esse, poterit illud ab alia causa acquirere. Sed Contra: Esse causarum, secundum entitatem, est indivisibile; ergò non po-

terit amplius illud acquirere, quod si verò instantia vellet, quòd causa per effectum posset acquirere aliquod extrinsecum, non est ad propositum; tum, quia Conclusio loquitur de esse entitativo: tum, quia illud aliud esse, secundum aliam rationem, de quo non inficior, aliquas causas posse esse sibi invicem causas, quia hoc nihil aliud esset, quam quòd idem, secundum diversum respectum, possit habere rationem causae efficientis, formalis & materialis, hoc tamen non est se mutuo causare.

Arguitur: Possunt duae causae se invicem mutuo conservare; ergò etiam possunt se invicem producere: patet consequentia, quia non requiritur major virtus ad aliquorum productionem, quam ad eorum conservationem: probatur ant. quia duo carbones sese mutuo conservant, ita, quòd non extinguantur tam cito, quam si essent separati, item calor conservat ignem & ignis calorem, similiter manus conjunctae conservant calorem inter seipsas effective: ergò. **R.** negando ant. ad probationem ejus nego, duos carbones duasve manus calidas, aut ignem, calorem, & e contra conservare conservatione propriè dicta, quia haec non est conservatio, nisi improprie dicta, in quantum videlicet, duo carbones, & duae manus calidae fortius possunt resistere agentibus contrariis extrinsecis, quam si essent separatae, dicitur enim ordinariè, virtutem unitam fortiozem esse. Calor similiter conservat ignem tantum per modum alicujus conditionis & necessariae dispositionis; Quare in forma directè responderi posset, distinguendo ant. Possunt duae causae se invicem conservare conservatione propriè dicta, nego ant. improprie dicta, concedo ant. & distinguo similiter consequens; ergò possunt se aliqua mutuo propriè & directè producere, nego consequentiam, improprie & indirectè, concedo consequentiam, sed nihil est contra Conclusionem, patet distinctio ex dictis.

Instatur: Possunt se aliqua duo conservare directè; ergò nulla solutio: probatur ant. Actus directè conservat habitum, & habitus directè conservat actum, quia etiam eundem producit, veluti altera concausa. Sed **R.** negando ant. cum sua probatione, quia non idem actus, qui conservat, seu intendit habitum, eundem produxit, sed alii antecedentes, adeoque nec conservant nec causant se mutuo. Deinde actus quicumque etiam ille, qui ex habitu procederet, producit suam causam, quia causa ejus est non modò habitus, sed etiam potentia, quam actus nullo modo attingit. Imò, loquendo etiam de habitu praeciso, actus, qui ab eo procedit, non dat ei esse simpliciter, sed ante eum jam praesupponitur, vel si non praesupponitur (si esset actus ille, qui produceret habitum) tunc non procederet ab habitu. Similis instantia solet fieri de pluvia, quae est causa vaporum, & vapores iterum sunt causa pluviae, nam eodem modo responderetur, scilicet, non esse eandem pluviam, quae causat vapores & eam, quae à vaporibus causatur, sed diversam, adeoque non sunt duae causae, quae se invicem mutuo causarent, & sibi esse darent.

XI.
Argumentum in contrarium.

Urgetur: Duo baculi, duae trabes deorsum cadentes possunt sibi idem esse dare; ergo adhuc duae causae possunt seinvicem causare; probatur ant. quia si duae trabes caderent in extremitate superiori, ita possunt coincidere, ut angulum facientes, qualibet alteram impediatur ab ulteriori casu, ergo. *ix.* dist. ant. Duae trabes possunt sibi invicem esse dare, secundum entitatem, nego ant. possunt sibi esse dare ubi cationis, transeat ant. & nego consequentiam. Itaque, licet duae trabes erectae primitus, & postmodum cadentes triangulum quasi faciant, & una alteram sustentet, una alteram tamen non producit, sed tantum qualibet in altera producit aliquid ubi, & sic in se invicem agunt, non aliquid in seipsis, quoad esse producendo, sed solum aliquid tertium. Et tales plures casus adferri possunt, ut est de apertione fenestrae & ingressu venti, de calefactione piperis & linguae, quia haec non producant seinvicem, quoad esse, sed potius aliquid tertium, quod non est negandum.

XII. **Dico 5.** *Causa finalis, & efficiens possunt esse sibi invicem causa.* Haec etiam est communior, & probatur ex autoritate Aristotelis 1. Phys. l. 30. ubi ait: Sunt praeterea, quae mutuo sunt sibi causae, ut exercitium est causa bonae valetudinis, & haec causa exercitii; at non eodem modo, sed haec ut finis, illud ut principium motus. Nec de hac causa finali potest esse difficultas, quia haec causare potest, dum non existit, adeoque dum illa causat, etiam causari potest, in ceteris vero causis, quae verum, & physicum influxum praestant, requiritur existentia, adeoque nequeunt causare nisi existant.

Finalis & efficiens possunt esse sibi causa.

QUAESTIO III.

An idem numero effectus possit produci à duabus causis totalibus & adaequatis simul?

I. *Quaestio est de duabus causis eiusdem ordinis.*

Tota hujus quaestiones difficultas procedit de duabus causis eiusdem ordinis, nam effectum aliquem dependere à duabus causis totalibus diversi ordinis, res est in confesso apud omnes, qui Deum perhibent concurrere ad omnes effectus causarum secundarum; Deinde illae causae adaequatae & totales debent etiam esse eiusdem generis, nam à duabus causis, imò ab omnibus quatuor generibus causarum quasi omnem, saltem in liberè agentibus, dependere effectum, etiam non negatur, unde quamvis possit quaestio moveri, de duabus causis materialibus, de duabus formalibus &c. potissimum tamen cardo vertitur de efficientibus, an videlicet in genere causae efficientis idem effectus simul & semel possit dependere à duabus totalibus, & adaequatis causis.

Pro resolutione quaestiones, Notandum est ex dictis, causam efficientem totalem esse in duplici differentia, alia enim est causa totalis totalitate effectus, & alia totalitate causae, illa est, quae attingit totam entitatem eiusdem effectus, ut est potentia intellectiva, & obiectum respectu intellectus, Pater & Mater, respectu prolis. Causa totalis totalitate

Causa, de qua etiam hic est sermo, ea est, quae ita attingit effectum totum, ut per ipsius solius influxum possit hic, & nunc poni & conservari effectus circumscripta quacunque alia causa eiusdem generis & ordinis, sic ignis dicitur esse causa caloris, quia ad eius productionem non indiget ullo concursu alterius causae. Circa quam materiam triplex est sententia: Prima adscribitur Occamo & sequacibus suis putantibus, quod naturaliter idem effectus possit dependere à duabus causis totalibus, quos nonnulli Recentiores etiam sequi videntur. Altera sententia huic è diametro opposita, est Doctoris mox citandi cum suis, & Thomistis gravioribus ex D. Thoma 1. p. q. 52. art. 3. &c. qui omnes docent, id neque divinitus fieri posse. Tertia est Recentiorum communiter, qui media incedunt via, unde dicunt, naturaliter id quidem contingere non posse, bene tamen supernaturaliter. Ita Fonseca, Ruvius, Suarez, Murcia, Amicus, Arriaga &c. Verumtamen conformiter Scoti principii Resolutive

Dico: Idem numero effectus (de hoc enim solummodo controversatur) nec supernaturaliter produci potest, simul & semel à duabus causis totalibus & adaequatis. Ita Doctor 1. d. 2. q. 3. & 2. d. 20. q. 2. & in 3. d. 1. q. 2. ac 4. d. 10. q. 2. &c.

Probatur primo Rationibus ex eodem desumptis, ex primo: Implicat idem secundum idem, simul & semel, per se & adaequate dependere, & non dependere ab alio, sed si duae causae totales possent simul producere eundem effectum, sequeretur, idem simul & semel dependere & non dependere, ergo: probatur mi. Si ignis C, verbi gratia, adaequate produceretur à causis A & B. tunc necessario dependeret ab harum una, & non dependeret ab altera, verbi gratia, à B, quod probo terminis Scoti: a nullo dependet aliquid essentialiter, quo non existente nihilominus esset, sed si C, habet duas causas reales A & B, in eodem ordine, utrolibet horum non existente, nihilominus esset ipsum C ab altero eorum, quia non existente A, nihilominus erit ipsum C à B, & non existente B, nihilominus erit C, ab ipso A; ergo dependeret effectus C, & non dependeret, quod implicatorium est.

Probatur Conclusio secundo:

Nulla res producta produci potest manens producta; ergo idem effectus nequit dependere à duabus causis totalibus: patet ant. quia productio est à non esse; ergo res producta manens talis produci nequit: probatur etiam consequentia, si idem effectus possit dependere à duabus causis totalibus, possit rem productam manentem productam, reproducere, sed hoc nequit fieri, ergo: probatur sequela, quaecumque res potest secundo rem producere, potest eam producere productam, ergo, si potest eam secundo producere, poterit eam etiam producere iam productam; Nec refert, quod tunc considerentur causae in eodem instanti producere, quia, si potest rem productam in eodem instanti producere, poterit similiter in quibuscumque instantibus, cum non sit maior difficultas, nec maior requiratur agendi virtus, ergo. Probatur

Probatur tertio: Si unus idemq; effectus posset dependere à duabus causis totalibus, sequeretur, utramque esse causam totalem & non esse, sed hoc dici nequit, ergò: probatur sequela. quia esset ex hypothesi, non esset verò, quia una dependeret ab alia, sed quandoque causæ totaliter à se invicem dependent, tunc non sunt causæ totales, ergò. Nec juvat dicere, idèò dici totales, quia utraque attingit entitatem totam effectus, quia alioquin objectum & intellectus essent causæ totales eò, quòd utraque attingat entitatem effectus, intellectus scilicet, sed hæ causæ non dicuntur totales; ergò nec illæ dici deberent.

Probatur quarto A pari: Idem effectus nequit dependere à duabus causis totalibus materialibus, nec à duabus formalibus; ergò etiam non poterit idem effectus dependere à duabus efficientibus: ant. est Adversariorum & patet, quia posita unà solummodò materia & unà formà, superfluit quæcunque alia superveniens, nihil agit: probatur consequentia: Quia quicumque effectus dicit tantam indigentiam ad causam efficientem, ac ad causam materialem vel formalem, sed per quamlibet materiam, tollitur ista indigentia in causa materiali; ergò etiam per unam efficientem.

Dices: Si effectus diceret tantam indigentiam ad efficientem, sicut causa formalis, sequeretur, quòd nec divisim duæ causæ efficientes eundem effectum producere possent, ergò. Respondeo, hoc non sequi, quia licet verum sit, quòd effectus ut sic, non dicat tantam indigentiam ad causam efficientem, dicit tamen, dum actu fit, quia hic non habet amplius dependentiam absolutè sumptam, sed dependentiam per se, quæ necessitatem involvit, sicut quodlibet per accidens involvit contingentiam.

Probatur Conclusio quinto
à simili: Nullus effectus potest duabus corruptionibus adæquatis simul & semel desinere; ergò neque duabus causis totalibus, simul & semel produci: probatur consequentia: Quia idèò quilibet effectus per unam corruptionem totaliter desinit, ut non possit per alteram, quia eà posita nihil remanet, quòd corrumpi posset, sed posita unà causà totali & adæquatà, nihil remanet in effectù, quòd produci deberet; ergò non potest amplius per secundam productionem produci. Verum contra hanc communem Scottistarum opinionem, ex omnibus aliis causarum generibus adferunt instantiæ, quæ, quàmvis communes sint, idèò tamen difficultate non carent, quare in contrà

Arguitur primò: Quilibet effectus defectò dependet à Deo & creatura; ergò unus idemq; effectus potest non tantum supernaturaliter, sed etiam naturaliter dependere à duabus causis totalibus; probatur consequentia, quia Deus est tam benè causa totalis, quàm causa creata, imò magis & licet diceretur, Causam creatam esse partialem, non effugitur difficultas, quia eadem est ratio, quòd unus effectus dependeat ab una totaliter & ab altera partialiter, quàm etiam totaliter, quia si jam accepit

suum esse per unam causam totaliter, nequit ipsum accipere per alteram, nec partialiter quidem; deinde, si dicatur, causam creatam esse partialem, incurritur alterum absurdum, scilicet in causis creatis nullam dari totalem, cum tamen sit communis opinio, omnes quatuor in suo genere esse totales. Itaq; respondetur ad Argumentum communiter negando consequentiam, disparitas est, quia Causa creata, & increata sunt diversi ordinis adeoq; non implicat, quòd unus idemq; effectus dependeat ab utraque adæquatè, quemadmodum non implicat, quòd unus effectus dependeat ab omnibus quatuor generibus, sic defectò autem contingere certum est. Sed

Instatur: Effectus productus à duabus causis totalibus diversi ordinis, tam benè dependet ab una totaliter secundum esse, quàm si producat à duabus ejusdem ordinis, sed hæc dependentià totali ab una Causa diversi ordinis non implicat, ut idem effectus producat etiam ab altera, ab eaq; dependeat; ergò nec implicabit, quòd idem effectus dependeat à duabus causis totalibus ejusdem ordinis, & consequenter nulla solutio. Respondeo dist. ma. Effectus productus tam benè dependet &c. eodem modo, nego ma. diverso modo, concedo: Itaque causa totalis creata comparata ad causam incretam non est totalis, sed tantum partialis, nam, ut dixi supra, de se est insufficientis ad producendum aliquem effectum, etiam intra suam speciem, nisi concurrat causa prima, adeoq; non habet virtutem adæquatam ad producendos suos effectus, sed eam acquirit à Deo, qui concurrat cum ipsa, veluti causa partialis.

Urgetur: Illa causa non potest dici partialis à quâ totaliter dependet effectus, sed à concursu Dei totaliter dependet effectus; ergò non poterit dici causa partialis. R. dist. mi. à concursu Divino totaliter dependet effectus, ita ut concurrat secundum modum totaliter, nego mi. secundum rem, concedo mi. Itaq; concursus Divinus fundamentaliter sumptus, est unus simplicissimus actus, ad omnes effectus causarum secundarum concurrans, virtualiter tamen est multiplex, & non solum numero, sed etiam pluribus specie diversis influxibus æquivalens, major enim concursus est, quo concurrat ad producendum hominem cum homine, quàm ad producendum equum, & hic iterum major est eo, quo concurrat cum igne ad producendum ignem, non tamen in re, sed in modo, in se enim est simplicissimus.

Arguitur secundo: Possunt duæ formæ Divinitus esse in eadem materia; ergò poterit etiam idem effectus dependere à duabus causis totalibus: ant. patet, tum ex dictis, tum quia videmus, quòd naturaliter sint duæ paternitates in eodem subjecto, item duæ similitudines &c. probatur consequentia, quia non minus dependet forma à subjecto, quàm effectus à causa; ergò si potest unum esse, poterit & alterum. R. negando consequentiam, quia non sequitur, eundem effectum formalem esse à pluribus causis totalibus, quia quilibet effectus, seu quilibet forma est communicata subjecto per suam

IX.

suam dependentiam determinatam & non per plures.

Instatur: Quando altera albedo, verbi gratia, ponitur in eodem subiecto, ubi alia præexistit, tunc nullum alium effectum formalem præstat, quàm prima; ergò duæ albedines in eundem effectum formalem influunt duabus dependentiis totalibus. R. negando ant. si albedo subsequens posita in subiecto albo effectum formalem aliquem præstat, non præstat tamen eundem numero, quem præstitit prior, sed alium, quàmvis specie non differentem.

Urgetur: Idem numero subiectum sit album; ergò est idem numero effectus formalis. R. negando consequentiam. Ratio alia disparitatis adhuc est, quia, quando subiectum plures formas accipit, tunc per quamlibet non accipit esse simpliciter, sed tantum secundum quid, quod fieri non implicat, cum naturaliter idem subiectum possit pluries accipere eandem denominationem accidentalem.

X.
Tertium.

Arguitur tertio, A paritate cause finalis: Potest idem numero effectus dependere à duobus finibus; ergò etiam idem effectus à duabus efficientibus: probatur ant. quia potest quis ingredi in aliquam domum, tam propter Martham, quàm propter Lazarum, ita ut si Martha non esset ibi, adhuc iret propter Lazarum, & si Lazarus non esset, iret propter Martham, sed in tali casu essent duæ causæ finales, totales & adæquatæ; ergò potest idem numero effectus fieri à duobus finibus. Item potest quis intrare domum, ut doceat & ut manducat, ita ut absente alterutro adhuc fieret propter unum. Sed R. quòd in tali casu, licet separatim sumpti illi fines possent esse totales & adæquati, si tamen copulativè sumantur, tunc non erunt, nisi partiales, adeoq; non dependeret à duobus finibus totalibus & adæquatis.

Instatur: Illi duo fines se junctim accepti, erant causæ totales & adæquatæ, quia propter alterutrum illorum fieret ingressio; ergò etiam quando copulativè sumuntur; probatur consequentia, quia per copulationem nihil eis demitur, imò potius additur unio, ergò. R. negando consequentiam, Ratio disparitatis est, quia si simul sumuntur, impediuntur, quò minus unus possit æquè movere ac alter, & agere quantum possit propter alterius concursum, quod patet in alio casu, quo duo equi trahunt unum pondus, quod quilibet separatim trahere posset, tunc neuter trahit totaliter, sed uterq; partialiter. Sic quoq; res se habet in proposito, imò voluntas tunc mutat suam volitionem, & facit actum fieri tam propter unum, quàm propter alterum, & propter neutrum totaliter. Denique non esset inconveniens concedere, quòd duo fines sic possent concurrere, quorum quilibet, ut totalis operaretur, verumtamen melius negatur & patet ex eo, quòd dum quis operatur propter duplicem finem, quòd non ita effectum ponat, qualiter posuisset, si propter unum solum operatus fuisset, quia vel actus erit perfectior vel intensior, vel cum majori alacritate & promptitudine, quòd signum evidens est, utrumq; aliquid particulariter fuisse operatum.

Arguitur quarto Ex causa morali: Potest idem effectus dependere, à duabus causis moralibus; ergò etiam idem effectus à duabus causis efficientibus: probatur ant. quia duo sacerdotes simul consecrant, duo simul possunt baptizare eundem infantem, &c. R. negando ant. ad cujus probationem dico, quòd in tali casu, vel uterque partialiter operaretur, vel unus solus & totaliter, is scilicet, quem Deus designaret, quemadmodum dicimus evenire in casu, quo eidem materiæ applicarentur duo ignes, quorum quilibet partialiter tantum produceret effectum, & si hoc fieret in corpore replicato, tunc ille solus produceret effectum, & materiam combustibilem combureret, quem Deus determinaret. Sed

Instatur: In collatione baptismi, verbi gratia, aut in consecratione, quilibet minister profert verba, sicuti causa totalis, sed quilibet minister concurret ad consecrationem sacramenti; ergò si non quoad collationem gratiæ, saltem quoad consecrationem erit quilibet causa totalis: probatur ma. quia alioquin sequeretur, quòd prolatio unius esset pars sacramenti, sed hoc dici non potest, patet tamen sequi, quia hoc concurret per modum partis, quòd procedit à causa partiali, ergò. Respondeo negando ma. nam videtur probabile prolationem verborum non esse institutam à Deo, tanquam causam essentialem sacramentorum, ita ut ab uno tantum debeat proferri, sed existimo, quòd in sacramentorum institutione Deus ordinaverit, ita, quòd quocumque prolata fuerint talia vel talia verba, præsentè tali & tali materiæ, quòd velit concurrere ad conferendam gratiam, adeoque sive unus, sive duo verba profert, parvum interest, interesset tamen multum, si sacramenta gratiam Physicè producerent, quòd nos negamus.

Arguitur quinto: Ex Principiis Divinis: Spiritus Sanctus habet duo principia sui; ergò etiam in creatis potest haberi aliquis effectus duas causas adæquatas: probatur ant. quia Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum, ita, ut si Filius non esset, adhuc ipse spiraretur, & si per impossibile non esset Pater, adhuc esset à Filio. R. negando ant. Quia Spiritus Sanctus non habet duo principia, sed unicum tantum, scilicet eandem vim & actionem spirituam, & licet ibi sint duo supposita, illa tamen non augent vim & actionem spirativam.

Instatur: Christus Dominus secundum quòd est in Cælo, & secundum quòd est in Eucharistia, conservatur duplici conservatione productivà; ergò potest etiam dici, quòd alius effectus sic produci posset, quia eadem est ratio de productione alicujus, ac de ejus conservatione. R. Christum Dominum in Eucharistia non fieri absolute ibi, sed tantum secundum præsentiam, per actionem adductivam, non verò productivam, & sic quodammodo est alius terminus, sicut etiam fuit alia actio, adeoque nihil contra conclusionem urget. Sed

Urgetur: Si Christus Dominus tantum fieret ibi præsentis, & non verè de novo produceretur,

ceretur, sequeretur in Eucharistia non esse veram transubstantiationem, sed hoc est contra fidem, ergo: probatur sequela, quia esset tantum transaccidentatio, quia in locum panis succederet nuda Christi præsentia. R. negando sequelam, quia quemadmodum in naturalibus mutationibus non semper de novo producit totus terminus ad quem, & tamen verè dicuntur mutationes, quia semper materia præexistit, sic etiam sufficit, ut sit ibi Christus, sive per additionem, sive per novam productionem.

QUÆSTIO IV.

An due Cause totales divisim, possint producere eundem numero effectum?

I. Quemadmodum prior quæstio difficultatem movebat de duabus causis ejusdem ordinis & generis, iisque Efficientibus, ita & hæc, dempta divisione, ita ut duplicem possit habere sensum; Primum qui quæreret, an effectus productus ab una causa, verbi gratia A si destrueretur, possit denno reproduci ab illa: Alter verò ita quæreret potest, an Effectus productus ab una causa, verbi gratia ab A, potuisset produci ab alia, verbi gratia B, pro exemplo sit ignis, qui hodie secundum numerum producitur Camencii, an idem potuisset produci Citercii ab alio, si ibi eodem modo applicaretur. Circa quam materiam etiam est triplex sententia; una est affirmativa, eaque Scotistarum post Doctorem 2. d. 20. q. 2. Negativa Thomistarum & Recentiorum media, qui opinantur naturaliter id fieri non posse, benè tamen divinitus. Ergo resolutivè

II. Dico: Idem numero effectus productus ab una causa potuit produci ab alia ejusdem speciei, si applicaretur eodem modo, eidem passo, & in eisdem circumstantiis; Et ab eadem destructus iterum reproduci. Ita Doctores, quoad primam partem supra, quoad secundam a. d. 43. q. 2.

Probatur prima pars: Si status Innocentia perseverasset, & Adam nunquam peccasset, multi effectus defecto non producerentur ab his causis, à quibus nunc & defecto produciuntur; ergo effectus ab una causa productus potuit produci ab alia; probatur ma. Si perdurasset status Innocentia, sicut perdurare poterat, nullus homo fuisset natus, qui non fuisset salvatus, sed multi defecto salvati, & etiam salvandi sunt nati à parentibus damnatis; ergo in statu Innocentia, si Adam non peccasset, multi effectus, seu Filii non producerentur ab illis causis, à quibus defecto produciuntur: probatur ma. ex D. Gregorio lib. 4. Moralium cap. 36. ubi ait. Si Parentem primum nulla peccati rubigo corrupisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret, sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, seti ab illo electi nascerentur, ergo: probatur etiam min. tum, quia Henoch & alii posteri, non fuissent nati ex Caino reprobo, nec Sancta Barbara ex Patre perverso Dioscoro, nec Hermenegildus ex Leovigildo, & sic de pluribus aliis: tum, quia non valet dici, in statu Innocentia, si perseverasset, eos homines, qui

F. Amandi Hermann Physica.

nunc reprobantur, salvandos tunc, ex eo, quòd DEUS non determinaverit numerum Electorum ante pravisionem peccati; Quia prædestinatio facta est ante peccati pravisionem, ut ait D. Paulus, DEUM elegisse nos ante mundi constitutionem, nec numerus prædestinatorum minoratus est per lapsum Adami, ergo.

Probatur secundò ex alia via, sed simili: Sæpè evenit, ut homines ex natura steriles, per medicinam & artificium fiant fecundi, & econtrà aliqui ex natura fecundi reddunt se spontè per plurium applicationem mediorum steriles, sed in tali casu, qui nascuntur à parentibus arte fecundis, si naturam non jussissent, non fuissent nati, & alii à relictis sterilibus fuissent nati, ergo filii, qui defecto nascuntur ab uno Patre, potuissent fuisset progeniti ab alio, & sic effectus productus ab una causa, potuisset produci ab alia.

III. Probatur tertio: Una causa naturalis creata potens producere aliquem effectum, est potens producere quemcunque alium similem & ejusdem speciei, nisi sit aliqua specialis ratio ex parte unius effectus, quæ non esset ex parte alterius, sed ex parte ignis C, verbi gratia, non est aliqua ratio particularis, quare non posset produci tam benè ab igne A, quam ab igne B, ergo, sicut defecto ignis C, est productus ab igne A, ita poterat produci ab igne B: probatur min. Si esset aliqua particularis ratio, maxime, quòd ignis A, habeat determinatam seriem suorum effectuum à se producendorum, distinctam à serie effectuum, quos potest producere ignis B, sed hæc ratio nulla est, ergo: ma. est Adversariorum: probatur min. quia illi omnes ignes producibiles ab igne A, in sua serie non plus differunt ab ignibus, quos in sua serie potest producere ignis B, quam ipsi ignes ab A, producibiles inter se differant: ergo, sicut ignis A, potest producere quemcunque effectum in sua serie, poterit etiam quemcunque in serie ignium B, & consequenter illarum serierum, assignatio est nulla: probatur ant. quia ignes A & ignes B, tantum differunt inter se in differentia individuali, sed etiam ignes A, seu in serie ignium A, similiter tantum in ipsa hæccitate differunt, ergo.

IV. Probatur quartò: Quia hic numerus Ignis, verbi gratia C, non dicit determinatam, & essentialem dependentiam ad suam causam, verbi gratia, ad ignem A, ergo, sicut nunc productus est ab igne A, ita poterat etiam produci ab igne B, probatur ant. quia, si ignis C, diceret essentialem & intrinsecam dependentiam ad ignem A, sequeretur, Deum non posse producere se solo ignem C, sed hoc est minuire omnipotentiam Divinam, & communi Philosophorum axiomati contraire, quòd non possit Deus efficienter producere se solo quidquid potest cum causa secunda: probatur autem sequela, quia DEUS essentias rerum, earumque essentialis dependentias immutare nequit, sed ignis C, determinat sibi per

Minna essen-

essentialiam dependentiam dependere ab igne A, ergo neque DEUS se solo potest producere. Confirmatur: Si aliquis effectus dependeret essentialiter ab aliqua causa determinata efficiente, sequeretur, in Resurrectione mortuorum non futurum eundem hominem, qui de Matre natus fuerat, & sic Petrus non esset idem, qui quondam piscabatur, nec Joannes esset filius Zebedæi &c. sed hoc est inconveniens, ergo: probatur tamen sequela, quia non potest dici idem numero homo, qui non habet sua essentialia & determinata principia, sed nec Petrus, nec Joannes haberet sua principia essentialia, id est, Zebedæum & Matrem, ergo. Sed

VI.

Probatur secunda pars: Quia sicut visum est, causa est indifferens ad producendum hunc, vel illum effectum; ergo si determinaretur ad semel destructum reproducendum, non videtur, quod minus illum producere posset, cum tam bene amplius non sit & nihil sit, ac si nunquam fuisset. Et sanè tam certum non est, quin calor, qui aliquando fuit, denuò fuerit reproductus, quamvis in substantialibus id nunquam contigerit, utpotè quæ non petunt à quacunque materia fieri, sed à sua determinata; Et licet paradoxum hoc videri possit, reverà tamen non est. Sed

VII.

Dices: Sequeretur, naturalitèr etiam posse fieri resurrectionem. R. negando sequelam, quia nulla causa creata potest attingere unionem animæ, ejusq; productionem, utpotè quæ creatur. Deinde quamvis nunquam contigisset, quod idem calor, qui semel destructus fuit, fuerit reproductus, hoc tamen non improbatur, quod minus fieri possit, quod enim non eveniat, est propter decretum Divinæ voluntatis, quæ non vult concurrere cum causis secundis ad effectus semel destructos reproducendos, ex eo, quod valde connaturale sit, ut quæ semel extiterunt, amplius non redeant, sed locum novis cedant. Sed in Contrà

VIII.

Argumentum in contrarium.

Arguitur: Si quilibet effectus posset produci ab alia causa intra eandem speciem, sequeretur, quod etiam idem homo posset seipsum producere, hoc nemo admittit ex Scotistis, ergo: probatur sequela, Titius, verbi gratiâ, continetur tam bene inter omnia individua humana, ac quicumque alius homo, sed Titius potest producere quemcunque hominem ex omnibus individuis humanis; ergo poterit etiam seipsum producere. R. negando sequelam, cujus probationis ma. distinguo. Continetur inter individua humana producta, transeat, inter individua primò producibilia, nego. Itaq; ex hoc non licet inferre; ergo potest seipsum producere, quia hic particulares obstant rationes, si enim Titius existit, non amplius produci potest, quia res existens ut existens nequit produci, nec ab alio, minus à seipso: si verò non existat, tunc non potest se producere, quia nemo dat, quod non habet, nec causa aliquid causat, nisi ipsa prior existat. Sed

Instatur: Si Titius non poterit seipsum producere, ex hac particulari ratione, sequere-

tur, quod ad minus posset suum Parentem producere, sed hoc si non magis, æquè inconveniens est; ergo: probatur sequela, quia Titius potens est producere hominem, seu filium; ergo quemadmodum modò productus est ipse à Mævio genitore, ita poterit producere ipsum Mævium, imò si Mævius moreretur, denuò reproductere, quandoquidem continetur inter alia individua producibilia. R. Concedendo sequelam, & neg. mi. loquendo secundum entitatem rei, ita videlicet, ut quemadmodum nunc & defactò, Titius productus est à Mævio, ita Mævius poterit produci à Titio, prout contigisset in statu Innocentiæ, in quo multi alios habuissent parentes & multi alios filios, & sic non videtur, cur id fieri non posset.

Urgetur: Si Titius posset producere

suum parentem Mævium maximè jam destructum, Mævius dependeret à Titio & non dependeret; dependeret quidem quia ab ipso produceretur, non dependeret autem, quia Titius dependeret ab ipso, sed hoc implicat; ergo etiam implicat, quod Titius possit producere Mævium. R. dist. ma. dependeret, & non dependeret sub eadem ratione & quoad idem esse, nego ma. secundum aliam rationem & quoad aliud esse, concedo ma. & dist. similiter mi. nego consequentiam. Itaque si Mævius, qui modo parens est Titii, productus fuisset à Titio, simpliciter dependeret ab eo, sicut modò dependet quicumque alius filius à suo parente, & tunc non posset dici, illum non dependere: Si verò Titius reproduceret Mævium suum parentem jam destructum, tunc dependeret à Titio tantum per accidens, & quantum ad esse secundum, & nullo modo quoad esse primum, Titius verò dependeret à Mævio quoad esse primum, & sic nulla esset contradictio. Verum hic casus posterior non caret difficultate, an fieri possit, si enim Titius posset producere Mævium suum parentem destructum, deberet posse producere Mævii materiam, & unionem animæ, idque per generationem, & quamvis DEUS posset materiam iterum adducere, animamque unire ad corpus, non concipio, quomodo Titius generaret Mævium, quia nihil communicaret Mævio de sua substantia per seminis decisionem, sed esset materia tota peregrina, adeoque nullà ratione posset dici parens ejus. Unde respondendum puto in similibus generationibus, reproductionem contingere non posse per modum generationis, sed aliam simplicem productionem, qualiscunque illa esset; Et licet illud absolutè contingeret, nihil tamen esset contra conclusionem, quæ non loquitur ita universalitèr, sed si nihil inconvenientiæ obstat, ut patet ex probatione tertia, nam nec concedo, quod species intentionales albedinis A, possint produci ab albedine B, licet sint intra eandem speciem, quia illæ species, cum sint formales similitudines suorum objectorum, non possunt produci ab alio, & sic subjecta se habent, ac si in eadem specie differrent. Deinde nequit etiam calor ut duo, producere calorem ut octo, licet sint intra eandem speciem, album

album ut quatuor excedit album ut duo, nulum autem perfectius potest produci ab imperfectiori, conclusio ergo loquitur de omnibus

individuis ejusdem speciei, quæ in entitate, & in gradibus æqualia sunt, non verò quæ sese excedunt.

DISPUTATIO VII.

DE CAUSA FINALI.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit finis, & ejus causalitas?

titudo nostra dividitur in formalem & objectivam.

Tertio dividitur principaliter finis in finem ultimum & non ultimum: Finis ultimus est in quo ultimare operans quiescit, ita ut non habeat necesse eum ulterius ordinare, cum nihil amplius sit, propter quid operetur, ut quando quis intendebat tantum sanitatem, eamque effecutus, aut sicut homo querere debet beatitudinem, quæ consecuta non habet amplius, quo suas actiones ordinet, & hic finis etiam congrue dividitur in duo præallegata membra: Finis non ultimus est, qui etiam finis sub fine dicitur, in quo causa efficiens quidem aliquantulum quiescit, sed non ultimare, quia eum ordinat ad ulteriorem finem, sic mortificatio corporis est finis flagellationis & abstinentiæ, non tamen ultimus, quia ipsa mortificatio refertur in ulteriorem finem, nempe in ipsum Deum, similiter datio Eleemosynæ est propter sublevandum pauperem, ea tamen ulterius dirigi potest, ut peccata redimat, & DEUM offensum reconciliet.

V. Tertia finis ultimus & non ultimus.

I. Dari causam finalem contra multos gentiles, opinantes omnia fieri ex casu & fortuito modo, probat D. Aug. in lib. 83. q. quæstione 24. hoc modo: Quidquid casu fit, temere fit; quidquid temere fit, non fit providentia: si ergo casu aliqua sunt in mundo, non ergo providentia universi mundi administratur, quæ tamen dici nequeunt apud Christianos, adeoque certum erit, dari providentiam administrantem mundum, omniaque in eo facta ad certum dirigentem finem, qui est ipse Deus super omnia benedictus, unde ait Mellissius meus Doctor Bernardus tract. de diligendo Deo cap. 7. Nam & efficiens & finalis est: & lib. 3. de Amore Dei cap. 29. judicium providentiæ Divinæ expendens dicit: Deum itaque justissimo judicio suo quibusdam hic miseretur non miseretur in futuro; quosdam autem flagellat tanquam iratum ut ira & flagella ipsius afflictus in gloriam convertantur: ergo ex aliquo fine facit Deus.

II. Finem describit Aristoteles lib. 2. Physicorum cap. 2. 3. & 7. & alibi, quod sit Cujus gratia cetera sunt: quæ definitio tam apud Patres, quam apud Scholasticos communiter recipitur, sensus ejus autem est iste: quod causa, nempe finalis, sit ob cuius amorem aliquid movetur ad aliquid agendum, ut verbi gratia, ob sanitatem ad fumendum rheubarbarum, aliquamque potionem, vel in sectionem faciendam.

III. Finis Sic descriptus, primò dividitur in finem Cui & in finem Cujus. Hic est, cuius gratia causa efficiens applicat se ad agendum aliquid per media proportionata, ut eum assequatur, sic verbi gratia: Titius applicat se, ut possit Filio suo Mævio per recommendationes, supplicationes, aliasve vias, acquirere dignitatem Ecclesiasticam aut sæcularem, vel si infirmaretur ad procurandam sanitatem, per purgantia aut sudorifera. Finis Cui est ille ipse, vel illud ipsum, cui acquiritur, ut Mævius, cui Titius procurat honorem vel sanitatem. &

IV. Secundo dividitur finis in formalem & objectivam, seu in finem qui & quo: finis objectivus & qui est, illud ipsum bonum, quod causa efficiens sibi vel alius acquirere intendit & adlaborat, ut verbi gratia Deus, qui est objectum & finis noster ultimus, quem omnes in via peregrinantes à Domino, consequi cupimus. Finis formalis & quo, est ipsamet operatio, quæ mediante illud bonum acquiritur, sic finis formalis & beatitudo hominis est ipsa Dei visio & fructio: Ex hac divisione ortum est, ut etiam beatus

Amandi Hermann Physica.

Sunt adhuc plures aliæ divisiones, ut in finem operantis & finem operis, primum intendit ipsa causa agens, secundus est, qui ex natura operis sequitur, item in finem, secundum appetitum animale, & secundum appetitum naturalem &c. hæc tamen præcipuæ sunt, de quibus etiam queritur: An omnes propriè fines dicendi sint? Quam rem brevibus expediam, proinde

VI.

Dico I. si divisio prima in finem Cui bona est, multò magis in finem cuius. Hæc est conformis ad principia Scoti, contra Nominales, qui finem Cui verum esse finem asserunt, non tamen finem cuius, sed potius instrumentum ad priorem. Verum

VII. Si divisio in finem Cui bona est, magis erit Cujus.

Probatur Conclusio primò: Authoritate Doctoris subtilis, qui 2. d. 6. q. 1. F. docet, voluntatem simul velle id, quod vult & cui vult, sed finis cuius est id, quod voluntas vult, & finis cui subiectum cui appetitur bonum; ergo si unus finis cui dici potest finis, multò magis finis cuius.

Probatur secundò: Illud potest vere dici finis, quod se habet per modum ultimi in intentione agentis, sed tam finis cuius, quam finis cui, sunt ultimum in intentione agentis; ergo unus tam bene erit finis. Deinde: Illud est finis, ad quem ordinantur media, sed tam bene ad subiectum, quam ad rem desideratam ordinantur media, non quidem ut subiectum sit, sed ut illi bonum sit, ergo.

Mmm 2 Tertio:

Tertiò: Finis est id, cuius gratia cætera fiunt, sed tam gratia subiecti, quam gratia boni, cætera, id est, media fiunt; ergò tam finis Cui, quam cuius, erunt fines.

VIII.
Datur ratio
quare dicitur
si

Dixi in Conclusionem, si divisio in finem Cui bona est, quia scilicet probabile teneri potest, quòd hæc planè non sit bona, seu quòd finis Cui non sit propriè finis, tum, quia finis debet acquiri per media, illud, quòd dicitur finis Cui, non acquiritur per media; ergò non erit finis: tum, quia finis non acquiritur fini, sed finis cuius acquiritur fini Cui; ergò finis Cui non erit finis. Quare, ut dicatur habere rationem finis, debet considerari inadæquatè, quatenus cum fine Cuius involvitur, ita, ut habeat se per modum alicuius integranis totum aliquem finem, & sic divisio non erit in fines completos, sed in incompletos. Hinc patet, quid dicendum sit ad replicas, quæ in contrà fieri possent, facillè enim solvuntur, si dicatur, finem cui posse habere rationem finis, prout subest ad finem cuius, non quidem per modum totalis & adæquati, sed partialis. Ad secundam divisionem quoque

IX.
Finis forma-
lis & objecti-
vus sunt
completi.

Dico 2. Non esse in fines completos, sed ad summum in incompletos: &

Probatur Conclusio quoad primam partem: Quia nec Deus simpliciter appeti potest, sine eo, quòd appetatur actio, qua possideri possit; ergò finis objectivus non erit finis unus adæquatus & completus, in rigore locutionis; probatur consequentia, quia si posset appeti sine actione, qua haberi potest, posset simpliciter accipere esse per media, quia hæc est ratio principalis finis, ut illud, quòd fuit primum in intentione, sit posterius in executione, sed DEUS non accipit esse à medijs; ergò DEUS non erit finis objectivus, si DEUS non est finis objectivus; ergò nulla alia res, quæ objectivè appetitur, ut sunt divitiæ, honores, prædia, urbes, oves & boves, & pecora campi. Quòd autem sint fines incompleti, Probatur ex eo, quia objectum appetitur ex eo, quòd per actionem cum ipso conjungatur potentia & actio, verbi gratia, visio appetitur propter objectum; ergò ambo fines erunt partiales unum totalem integranes, & hoc patet ex eo, quòd Deus non sit noster ultimus finis, sed Deus videndus. Confirmatur ulterius, si Deus esset finis objectivus, quia est objectum beatitudinis, sequeretur, Deum non esse finem ultimum, sed hoc est contra Patres & Scripturam, ergò. Probatur sequela, quia posset referri ad finem ulteriorem scilicet ad nos, ergò: &c.

X.
Divisio in fi-
nem ultimum
& non ulti-
mum bonum
est.

Dico 3. Tertia divisio in finem ultimum & non ultimum bona est, idè, in fines propriè dictos. Hæc est Doctoris 1. d. 1. q. 2. & in 4. d. 49. q. 3. &c. Et primò quidem finem ultimum esse finem, nemo dubitat. Probatur tamen ex Sanctis Doctoribus nostris in sensu prioris conclusionis, quatenus nempe docent, Deum esse ultimum finem omnium nostrarum actionum. Sic enim ait D. Augustinus lib. 2. Serm. Dom. in Mont. cap. 16. Hoc appetendum & ibi finis constituendum,

propter quod omnia facimus, quæcumque facimus: & lib. 8. Civit. 8. Queritur de summo bono, quo referentes omnia, quæ agimus & quod non propter aliud, sed propter seipsum appetentes & adipiscentes nihil, quo beati simus, ulterius queramus, sed Deus est hoc summum bonum; ergò Deus est ultimus finis, & sic est pariter de alijs, qui ulterius non ordinantur, de quibus generatim dicit idem Sanctus Magister, enarrat. Pf. 76. Quomodo finis via tua locus est, quòd tendis, quòd cum perveneris, jam manebis. Sic finis studii tui, propositi tui, contentus tui, mentionis tue ille est, ad quem pervenies, ad quem cum perveneris, ultra nihil desiderabis, quia melius nihil habebis. Item D. Bernardus nihil frequentius ingeminat, quam in Deum referenda esse omnia, velut in ultimum finem, testantur ejus opera singula, signantèr libri de Amore DEI, ex quibus duo appono loca: utrumque ex lib. primo, unum cap. 4. ubi hæc habet: Hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax; hoc est gaudium Domini, hoc est gaudium in Spiritu Sancto, hoc est silentium in celo. Quamdiu quippe in hac lumen vita, hoc felicissima pacis silentio in celo, id est, in anima iusti, quæ sedes est sapientia, aliquando fructus affectus, sed hora est dimidia vel quasi dimidia, intentio verò de reliquis cogitationis diem festum perpetuum agit tibi. In illa verò beata & æterna vita, de qua dicitur: intra in gaudium Domini tui, sola erit perfecta & æterna finis, & tamè felicitior, quanto jam remotis omnibus, quæ hoc tardare vel impedire videntur, amoris ejus indissolubilis æternitas, irrefragabilis perfectio, incorruptibilis erit beatitudo: & cap. 5. sic ait: Est enim anima rationalis amor, sicut dicit quidam, firmum, motu vel quietæ statio, vel finis, ultra quem nihil appetat, vel appetendum iudicat voluntatis appetitum. Ultra te verò vel supra te, qui querit aliquid, tanquam melius te, nihil est, quòd queris, quia nihil est melius vel dulcius te. De sermone Domini in ultima cæna Serm. 8. clarè distinguit finem ultimum à non ultimo, ubi docet, qualiter creatura amari possint & debeant, ita tamen, ut ille amor in DEUM ultimatè referatur, qui cupit videre, inveniet id fusè quòd propterea etiam omni, & ad Scholastica magis progrediendo

Probatur Conclusio de fine non ultimo, quòd verè finis sit, ex ratione: Quidquid correspondet medio, debet rationem finis habere, sed finis non ultimus correspondet medio; ergò ille habebit rationem finis: ma. patet ex ratione finis, qui ex sua virtute debet habere posse movere ad applicanda media: probatur min. quia potest aliquis comedere, ut vivat, vivere, ut studeat, studere, ut promoveatur & promotionem proponere, ut DEUM & beatitudinem aliquando appetatur, quorum quodlibet est verum medium; ergò cuilibet correspondens erit verus finis.

Probatur secundò: Si solus ultimus finis verè esset finis, & non etiam non ultimus, sequeretur, quòd nullus unquam ageret nisi propter finem ultimum, aut cum, qui non ageret

ageret propter finem ultimum, non ageret ex electione, sed horum utrumque est absurdum, ergo non modo finis ultimus, sed etiam non ultimus veram habebit rationem finis: patet ma. quia si nullus est finis, nisi ultimus, quilibet, qui agit ex fine, debet agere propter finem ultimum, cum alius non sit, aut si non ageret, non ageret ex electione; quod autem sequela sint absurda, probatur, tum quia aliqui vel non cognoscunt ultimum finem, vel non proponunt, tum, quia si aliquis Atheus non ageret propter ultimum finem, non propterea deberet dici, agere temere, irrationabiliter & sine electione, ergo;

quantum vero utilis est, habet rationem medii.

QUAESTIO II.

De Causalitate Finis.

Ante Resolutionem unum pra-

supponendum erit, & alterum praenotandum: *Finis non est causa Physica.* Et quod praesupponi debet, est, licet finis sit vera causa, non esse tamen veram causam Physicam, sed tantam intentionalem & moralem, quod vero non sit vera causa Physica, patet ex eo, quod dum actu causat, potissimum non existat, imò aliquando sit vix non impossibilis; quod autem non existit Physicè, non potest Physicè influere in aliquem effectum, adeoque neque finis; Itaque finis causa est moralis & intentionalis, in quantum scilicet virtutem habet movendi voluntatem ad sui amorem & prosecutionem, quod est tantum intentionaliter movere. Quarè

Praenotandum etiam, Motionem

esse duplicem, aliam Physicam, aliam moralem, seu intentionalem, Physica illa est, quae fit à causa Physica realiter existente, & dante esse effectui, per actionem realem Physicam, qualiter movet homo navim, qui trahit eam, & ignis lignum. Motio moralis, quae similitudinem quandam & proportionem habet cum Physica, non tamen omnimodam, & talis est, quae bonum movet voluntatem ad sui amorem, & Consiliarius suum Principem ad Edictum aliquod faciendum, vel cassandum, quarè etiam dici solet motio Metaphorica, eò, quod ad similitudinem causae Physicae allicit, trahit, & determinat suum mobile. Hoc igitur praesupposito & praenotato, in hac quaestione examinandum est primò, quae nam sit causalitas finis in actu primo & quae in actu secundo? Et circa primum Nominales existimant, non modò bonum, sed etiam malum sub ratione mali posse esse causalitatem finis in actu primo, seu, quod idem est, malum quae tale posse movere voluntatem ad sui prosecutionem. Communis tamen sententia docet, solum bonum, aut aliquid sub ratione boni posse movere voluntatem ad sui prosecutionem, adeoque causalitatem finis consistere in bonitate, sive postmodum ea vera sit, sive apprehensa tantum, cum qua sententia etiam

Dico I. Sola bonitas vera, vel apprehensa potest esse causalitas finis in actu primo. Ita Scotista & Recentiores communiter.

Probatur primò: Autoritate tum D. Augustini serm. 144. Temp. cap. 8. ubi ait: Da mihi aliquid te velle, quod malum est, nec te aliquid velle bonum. Et serm. 107. divers. cap. 5. Dic mihi, quid malum velis? quidquid volueris, bonum vi. Et lib. 2. Confess. cap. 5. Cum de facinore quaritur, quae causam factum sit, credi non solet, nisi cum appetitum adipiscendi alicujus illorum bonorum (Honorum, voluptatum) quae infima diximus esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem, aut praedum, aut voluit depraedari, ut viveret, aut immit ab illo tale quid amittere, aut lesu

XIII. Probatur tertio Ad hominem: Si finis non ultimus non esset verè finis, hoc esset potissimum ex eo, quod ordinaretur ad alium finem, sed hæc ratio non tollit, quò minus possit habere rationem finis: ergò. ma. est Advers. probatur: Si subordinatio vel ordinatio ad ulteriorem finem tolleret rationem finis, deberet etiam tollere bonitatem, ex qua propter se amari potest, sed hanc non tollit, ergò neque tollit rationem finis, cum ad eum aliud non requiratur, quam quod possit ex se & propter se amari; prob. mi. si quid tolleret bonitatem, maxime, quòd haberet bonitatem medii vel eam acquireret, sed hæc ratio non tollit, cum illa bonitates non sint impossibiles, adeoque bene sub uno respectu possit habere rationem medii, sub alio verò rationem finis, dummodò habeat media ad se ordinata, quemadmodum idem potest esse genus, & potest esse species, species in quantum subordinatur superiori, genus verò in quantum habet sub se species, sicut etiam dicitur aliquando, imò simul Filius & Pater, filius eò, quod ab alio sit progenitus, Pater verò eò, quod jam alium genuerit, ergò etiam idem poterit habere rationem finis, & rationem medii, sub diverso respectu. Sed contra hanc Conclusionis partem

XIV. Opponitur Autoritas Aristotelis 2. Phy. 29. ubi ait, ad finem requiri, ut omnia ipsius gratia fiant, sed gratia finis non ultimi non omnia fiunt, ergò non erit verè finis. R. Dist. ma. ut omnia in gratiam ipsius fiant, quae infra eum in proprio ordine continentur, concedo ma. quae non continentur sub proprio ordine, nego ma. & dist. similiter mi. nego consequentiam, quia sicut ad genus omnia debent reduci, sic etiam ad finem, non tamen immediate & in ratione aut ordine diverso, sed sibi competente, sic est de fine. Vel dic Aristotelem locutum fuisse de fine ultimo, quod quidem verum est, eò contra tamen falsum, quòd de ratione finis ut sic sit, ut omnia in ejus gratiam fiant, sed ut aliquid.

Instatur: De ratione cujuslibet finis est, ut propter se appeti possit, sed finis non ultimus non potest appeti propter se, ergò. mi. probatur, quia finis non ultimus appetitur propter alium, scilicet propter ultimum. R. negando mi. Quia quilibet finis non ultimus in se habet duplicem bonitatem, honestatis scilicet, & utilitatis, in quantum honestus est, per se appeti potest, & habere rationem finis, in

I. *Finis non est causa Physica.*

II. *Motio est duplex, alia Physica, alia intentionalis.*

III. *Sola bonitas potest esse causalitas finis.*

se ulcisci exarsit. Divi Bernardi serm. 5. in vigili. Nati. ubi in fine sic claudit: *Nam desideria quidem nostra in tribus maxime constituta videntur, quod decet, quod expediat, quod delectat, hæc sunt, quæ concupiscimus, omnes quidem omnia, sed aliu magis hoc, aliu magis aliud. &c.* Et tract. de convers. ad Clericos describens miseriam conditionem peccantium, utpotè cum sibi tot mala accumularent per peccata, & sibi metipsis noceant, subdit: *Neg, id quidem (peccare) inimicitiarum studio gerimus, sed stupore quodam insensibilitatis internæ, effusum siquidem animus damna interiora non sentit, quia nec intus est, sed in ventre forsitan, aut sub ventre, denig, & animus quorundam in patinis, quorundam in loculis invenitur.* Adde Aristotelem, qui in Ethica frequenter dicit: *Nemo aspiciens ad malum operatur.* Ergò malum non potest habere rationem finis, quia malum, quia nequit habere rationem, ut ametur, & consequenter bonitas sola vera, vel apprehensa erit causalitas finis in actu primo.

IV.

Probatur primò: Nihil potest habere rationem finis in actu primo, quod nequit esse bonum, sed malum quia malum nequit habere rationem boni, ergò nequè rationem finis, patet ma. ex Aristotele I. Ethic. 17. ubi dicit: *Quod uniuscujusque bonum est, hoc finis est.* probatur mi. si malum deberet posse habere rationem boni, deberet posse constituere objectum suum amabile, hoc nequit facere, quia alioquin amabile esset & non esset, quia esset odibile. ergò.

Probatur secundò: Sicut se habet intellectus ad verum, & falsum, quoad assensum & dissentium, ita se habet voluntas ad bonum & malum, quoad velle & nolle, sed intellectus non potest assentiri falso, quia tali, ergò nequè voluntas velle malum, quia tale. Nec refert, quòd voluntas dicatur potentia libera, quia manet bene libera, quòd, sicut bonum potest non velle, ita malum possit non nolle, nec major libertas ei concedi debet, quàm per rationem, aut autoritatem demonstrari possit.

V.

Causalitas finis in actu secundo consistit in motione.

Dico 2. Causalitas finis in actu secundo consistit in motione ac determinatione formali, qua movet voluntatem. Hæc est Connimb. quos sequitur Pontius.

Probatur, quia voluntas movetur à fine ad producendum effectum, ergò datur talis motio, sed ex suppositione, quòd detur, nihil impedit, quò minus sit causalitas finis, & frustra requiritur aliqua alia causalitas, ergò causalitas finis in illa motione consistit.

VI.

Dices: Causa finalis est causa partialis subordinata efficienti, sed potest haberi motio illa sine causalitate efficienti, ergò illa motio non est causalitas. R. dist. mi. potest haberi motio sub denominatione causalitatis, nego mi. sub ratione sua, quòd omnia intrinseca, concedo mi. unde tunc illa motio, quæ non est quid distinctum ab ipso fine cognito, tantum habet rationem objectivam, non verò formalem, habet verò rationem formalem, quando voluntas seipsam Physicè movet.

Dico 3. Finis non causat secundum esse cognitum, sed secundum esse reale. Hæc est Doct. I. d. 1. q. 4. Et sentus ejus est, quòd finis non moveat præcisè, & reduplicative sumendo in quantum est cognitum, sed in quantum realis est entitas.

Probatur primò: Illud causat in fine, quod movet voluntatem ad agendum, ad eligendum media, sed hoc facit finis secundum suum esse reale, ergò.

Secundò: Illud movet, quod abest, & quod acquiri debet, sed esse reale abest, & acquiri debet; ergò secundum esse reale movet.

Tertiò: Illud movet ad agendum, quo acquisito cessat motus, sed acquisito fine secundum esse reale cessat motus, ergò finis movet secundum esse reale, probatur mi. quia dum Titius acquirit Moxio dignitatem Ecclesiasticam, vel sæcularem, cessat applicare media, requirere patrocinia, expensas sacre & similia, ergò. Sed in contrã

Arguitur 1. Omnis causa ex ratione sua formali debet esse prior suo effectui, sed in fine, & in bonitate ejus nihil est prius, quàm esse cognitum, ergò finis causabit non secundum esse reale, sed secundum esse intentionale, seu cognitum. R. dist. mi. in fine & in bonitate nihil est prius secundum esse futurum, nego, secundum esse reale actuale, concedo; Itaque finis præexistit etiam, in quantum causat quoad esse reale futurum, non tamen actuale, idèd, aliud est dicere, causare secundum esse cognitum, & in esse cognito, quia etiam in hoc causat, sed non tanquam per rationem formalem causandi.

Instatur: Cujuslibet causæ virtus, dum actualiter causat, actualiter existere debet, sed esse futurum non habet actu virtutem causandi, ergò nequè causare poterit secundum esse reale futurum. Sed R. dist. ma. debet actualiter existere in se vel in alio, concedo ma. in se semper, nego ma. & dist. similiter mi. nego consequentiam, quia virtus existit in esse cognito, quod esse, si sumatur pro rebus significatis, virtutem habet causandi, si verò sumatur pro seipso præcisè, in quantum dicit cognitionem formalem, non habet illam virtutem, sicut contingit in signis & vocibus rerum, quæ si sumuntur pro seipsis, falsæ sunt, si vero accipiuntur pro suis significatis, veræ.

Urgetur: In bonitate apprehensa non poterit esse cognitum accipi pro suo significato, ergò saltem in eo finis causabit secundum esse cognitum præcisè: probatur ant. quia illa bonitas nulla est ante apprehensionem, quia secundum esse reale, objectum tale bonum non est, alioquin non esset apprehensa, ergò. R. negando ant. cujus probationis consequens distingo; ergò bonitas apprehensa habet rationem finis, si objectivè sumatur, concedo, si formaliter, seu pro actu apprehensionis, nego consequentiam. Itaque dum dico, quòd esse reale debeat movere, non intelligo, nisi esse reale.

reale objectivum, non vero actuale, quod revera aliud non est, quam effectus.

Arguitur 2. Si Esse cognitum non moveret in genere causae finalis, sequeretur, illam cognitionem esse puram conditionem, sed hoc dici nequit, ergo. probatur sequela, quia nulla conditio variat speciem alicujus causae, sed cognitio variat speciem in potentis appetitivis, quia appetitus naturalis, animalis, & rationalis differunt ex eo solum, quod primus tendat in rem non cognitam, secundus cognitam sensu, & tertius intellectu, ergo. *R.* negando mi. cum probationis ma. quia videmus, quod potentia, & actus tantum extrinsece distinguantur, & per variationem conditionalem, & circa idem objectum formale, diversos specia actus haberi posse patet de amore viae & patriae, de cognitione Dei intuitiva, & abstractiva &c.

QUAESTIO III.

De Effectibus Finis.

In causalitate finis hic est ordo: Primo enim Agens intellectuale apprehendit aliud quod sibi conveniens per cognitionem sufficientem, nam, ut ait D. Augustinus lib. 3. de Trinit. cap. 2. *Invisi amari possunt, incognita nequaquam,* cognitione habitata voluntas ex naturali sua inclinatione & propensione in bonum, illud amat, affectat & desiderat; Amore, effectus, & desiderio concepto eadem voluntas toto conatu adlaborat, qui & qualiter rem desideratam acquirere, & adipisci possit, intellectus vero ipsi lumine suo demonstrat plures vias, modos & occasiones, quae omnia media dicuntur, quibus res acquiri potest, qua propositione facta voluntas unum eligit potius, quam alterum, & haec omnia inter terminos intentionis. Postmodum vero, postquam voluntas elegit sibi media, incipit per executionem ea applicare, & ordinare ad finem amari acquisitionem, sine illo accepto latatur, gaudet, & sibi complacet in consecutione; sit exemplum vulgare de Medicina: Primo enim intellectus proponit homini laboranti febribus sanitatem, quam ager incipit amare, desiderare & affectare, postea accedit iterum intellectus, & proponit voluntati media, quibus acquiri possit, nempe venae sectionem, sudorem, cholerae expurgationem, qua propositione facta voluntas eligit sectionem, & applicat se, ut exequatur & sanitatem acquirat, sanitas finis fuit, eoquae accepto, voluntas letatur, gaudet, & amat de consecutione sanitatis, in eaque quiescit. De his ergo quaritur, an debeant omnes illi actus, qui intercedunt, effectus finis dici? ad quod Respondeo &

Dico I. Desiderium & amor, a quo incipit finis causalitas, & series reliquorum actuum, non est ejus effectus. Ita Doctor q. 4. prologi. Et Scotus: communiter contra Mastrium. Et Probatur ex Doctore citato, ubi ait: Finis non est causa nisi in quantum amatus, & desideratus movet efficiens ad efficiendum, &c. sed finis, antequam ametur & desideretur, ipse non est

amatus & desideratus; ergo antequam ametur, non causet; subsumo; sed finis deberet causare, antequam ametur & desideretur, si amor & desiderium esset ejus effectus, ergo amor non est effectus; nullus enim effectus est, antequam sua causa causet.

Dices: Ille est effectus finis, qui propter ipsum fit, sed amor ille, & desiderium fit propter finem, ergo erit effectus finis. *R.* dist. ma. qui propter ipsum fit sub ratione finis, concedo ma. sub ratione subjecti, nego ma. & distinguo etiam mi. similiter, & nego consequentiam.

Dico 2. Media non habent rationem effectus respectu finis, sicut nec consequutio, aut amor sublequens consequutionem & possessionem.

Probatur Conclusio quoad singulas partes, & primo quidem de mediis, quia haec habent suum esse, antequam finis intendatur, ut patet de Medicina, quam Deus creavit, sicut & Medicum, & prudens eis tempore necessitatis utetur; nec refert, quod Medicinae non nunquam prius attemperentur, quia hoc tantum per accidens est, nec per hanc attemperationem esse suum accipiunt. Probatur de ipsa consecutione & possessione, quia haec non fit propter aliud, sed nihil est effectus finis, nisi, quod est propter aliud, ergo. probatur mi. quia nemo habet & possidet finem, eoquae fruitur, ut habeat, possideat, & eo fruatur, ergo.

Probatur denique tertia pars: Tum, quia gaudium non fit propter finem, sed per finem: tum, quia, sive gaudium & delectatio subsequens quaratur, sive non, fit finis, tum denique, quia acquisito reali sine cessat motus finis intentionalis, sed gaudium illud non cessat tunc, sed primo incipit, ergo illud gaudium non causetur a fine, adeoque non erit ejus effectus. Sed si quis minus rigorose loqui vellet, existimo, quod omnia enumerata in hac conclusione admitti possent esse effectus finis, etiam sub ratione finis, quia omnia subsequuntur ex fine intentionaliter sumpto. Quidquid tamen sit de his

Dico 3. Consultatio de mediis, eorumque electio, executio, & applicatio sunt veri effectus causae finalis, seu finis. Haec est communis, &c.

Probatur, quia haec omnia elicit voluntas, ut allecta & mota ab ipso fine, ergo sunt effectus finis; probatur ant. Quia ideo consultat de mediis, ea eligit & applicat, quia amat & desiderat consequi finem, ergo. Nec refert, quod finis illos effectus non attingat immediate, sufficit enim, quod mediate eos attingat.

QUAESTIO IV.

Quanam Agentia agant propter finem?

Imprimis certum est, nihil posse dici agere propter finem, quod sensu & ratione caret, nam, cum agere propter finem aliud non sit, quam ex electione comparare media ad unum certum finem determinata, quam electionem cum habere nequeant, nec propter finem agere dici possunt: Unde quamvis saepe di-

III.

IV.

Media non habent rationem effectus.

V.

Consultatio & electio &c. finis est effectus.

I.

Quae sensu caret nequeunt agere propter finem.

pè dicatur, omnia agentia naturalia propter finem agere; nihil operari frustra, hoc non est intelligendum, quali verò ipsa possent bonitatem finis, & mediorum congruentiam præcognoscere, sed sensus est, quòd in suum finem, seu terminum tendant, in quem sunt ordinata ab Authore omnium, primo què principio Deo.

II.

Homines & angeli agunt propter finem.

Similiter certum est, homines, & Angelos propter finem agere, quia homines ad consequendos honores, dignitates, divitias, beatitudinem multa adhibent media proportionata cum finis præcognitione & amore, Angeli quoquè fidem hominibus custodiam præstant propter vitam æternam, eorumquè societatem tutius consequendam, dæmones e contra propter eandem perdendam instigationibus, blanditiis, aliisque mediis, veluti mille artifices utuntur, ut homines decipiant, in peccata inducant & ad gehennam pertrahant. Audi Mellissimum Doctorem Bernardum de utrisquè loquentem in solemnissimis suis sermonibus in Psalmum *Qui habitas*: De Angelis enim bonis serm. 12. sic habet: *Quanta nobis, fratres, in huius scriptura verbis & eruditio & admonitio, & consolatio exhibetur? Consecantur Domino misericordie ejus, & mirabilia ejus filii hominum. Consecantur & dicant inter gentes, quoniam magnificavit facere cum eis. Et ne quid in caelestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mitti in ministerium, custodia nostra deputas, nostros jubet fieri pedagogos. Mira dignatio, & verè magna dilectio charitatis. De dæmonibus verò serm. 3. sic ait: *Vide, quia bestia factus est (homo) cui venandæ laquei parantur. Sed quis venatores isti? Venatores utiq; pessimi, & nequissimi, callidissimi, & crudelissimi. Venatores, qui cornu non sonant, ut non audiantur, sed sagittant in occultis immaculatum: ipsi Rectores sunt tenebrarum harum. Quare unica difficultas restat de Deo & brutis, num propter finem agant. Circa primum Animadvertendum, quòd in Deo tripliciter quæri possit, an dari possit in ipso finis; primò respectu actuum immanentium, secundò respectu actuum transeuntium, & tertio respectu ipsarum rerum productarum: de quibus**

III.

Deus quomodo agit propter finem.

DICO I. In Deo non datur causa finalis respectu actuum immanentium vel transeuntium, bene tamen respectu rerum productarum, adeoquè verè dici potest, agere propter finem. Hæc est communior in Scholis, &

Probatur I. p. Quia respectu nullius est causa finalis proprie, respectu ejus non est causa efficiens, sed respectu illorum actuum non datur causa efficiens, ergò nequè causa finalis. patet ma. quia causalitas finis est motio metaphorica, quæ nihil aliud est, quàm actio agentis propter finem facta: probatur mi. quia illi actus sunt entia per essentiam, ergò nullam habent causam.

Probatur 2. eadem pars. Quia nihil fit, vel agit propter finem, quod non agit propter finem amatum, sed actiones immanentes non fiunt propter finem amatum, quia actiones illæ sunt amor, & cognitio, quæ non fiunt ob alium amorem, cum ille primus sit

amor, & cognitio etiam ante amorem prærequiritur. Volunt tamen nonnulli, quòd quemadmodum datur principium in divinis, sic quoquè, licet non detur causa finalis, quod etiam possit dari ratio finalis.

Probatur 2. p. Quia actiones transeuntentes sunt ipsæ actiones immanentes essentialiter & communes tribus personis, quia sicut dicunt Theologi: Opera Trinitatis ad extrà sunt indivisa, sed actiones immanentes non habent rationem finis, ergò nequè transeuntentes.

Probatur 3. p. Primò ex Sacra Scriptura, Proverb. 16. ubi dicitur: Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Deinde Authoritate Sanctorum Doctorum, Augustini supra, ubi demonstrat, Deum non temerè gubernare, & regere universum, quibus addo alium adhuc in Ephef. Psal. 148. ubi totus universi gubernationem, suavissimamquè dispositionem divinam describens claudit: *Quidquid ergò hic accidit contra voluntatem nostram, non videtur accidere de voluntate Dei, de providentia ipsius, de nutu ipsius, de legibus ipsius, & si nos intelligimus, quid, quare fiat, demus hoc providentia ipsius, quia non fit sine causa (sine) & non blasphemabimus. Ex Divo Bernardo verò copiosissima loca ad hæc possem, in quibus singularem Dei providentiam commendat, & qualiter propter hominem, tum universum condiderit, tum carnem nostram assumpserit, ut videri potest per totum tractatum de erroribus Albailardi, & totamquè vitam mysticam, ad quos benevolam Lectorem remitto, addendo tamen duo alia loca, unum ex serm. 3. in die Pentecostes, ubi ait: *Tria in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit configuratum. Et in esse quidem rerum inestimabilis potentia commendatur, quòd tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnifice sint creata. Sane in modo ipsa Sapientia singularis elucet, quòd hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissime sint locata. Si verò ad quid factus sit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quoquè multitudine & magnitudine beneficiorum possit obstrere. Omnia fecit propter semetipsum gratuita videlicet bonitate: omnia propter electos suos, pro eorum salutem utilitate, ut illa quidem efficiens causa sit, hæc finis. Ergò Deus ex mente Bernardi omnia fecit propter causam finalem, quod clarè etiam ostendit epistolà 87. ubi docet, ex particulari suo judicio evenire, ut mala multa permittat, quia ea in bonum finem dirigere novit, sic enim hortatur: *Dic, malum quidem egi, sed factum est, & jam non potest non fieri. Quis scit, si mihi hoc Deus expedire providerit, & de malo meo, ipse, qui est bonum, bonum mihi operari voluerit? Malum ergò puniat, quod ego feci, bonum autem maneat quod ipse providit. Nostri quidem inordinati, seu voluntaribus, seu actionibus novit bonitas Dei uti, semper rectè in sui ordinis pulchritudinem, sepe etiam pie in nostram utilitatem. O clementissima circa filios Adæ divine pietatis recordatio, quæ sua non desinit largiri beneficia, non solum ubi nullum invenit meritum, sed plerumquè etiam ubi totum videt contrarium; Sed ista Deus non faceret, nisi ageret ex electione & fine, qui enim temerè agit, talia ordina-***

ordinare nequit, quare etiam totius Conclusionis probatio in hoc solum consistit, quod Deus agat liberè & rationabiliter, ergò Deus agit propter finem.

Dices: Quod agit propter finem, debet ab eo moveri, sed Deus à nullo potest moveri, ergò Deus nequit agere propter finem. probatur mi. tum quia quod movetur ab alio, debet se nunc aliter habere, quod in Deo repugnat, tum, quia si esset aliquid maximè ejus gloriae, & perfectionum manifestatio, hæc non sunt, ergò. *R. dist. ma. debet moveri ab alio cum imperfectione, nego ma. à se ipso principaliter sive imperfectione & motione improprie dicta: concedo ma. & distingvo similiter mi. & consequentiam.*

Instabis: Illa Gloriae & perfectionum manifestatio nil Deo confert; Ergò. *R. dist. ant. Nihil Deo confert intrinsicè, concedo: in genere morum, nego ant. Itaque illa manifestatio cum sit actualis DEI, tanquam summi boni, reverentia & contestatio, sufficiens est, ut possit movere, ut gratià ejus aliquid fiat.*

Dico 2. *Animantia irrationalia agunt propter finem, sed non propriè.* Hæc est communior. Et

Probatur 1. p. Ideò homo agit propter finem, quia habet intellectum, per quem discutere possit, comparare, & liberè se movere, sed animantia irrationalia etiam habent aliquam vim, unum quasi ex alio inferendi cum aliqua libertate, ergò etiam bruta animantia agere possunt propter finem: probatur mi. quia libertas in homine ideò colligitur, quia terretur pœnis, & provocatur præmiis, sed etiam sic bruta terrentur, & provocantur, nam fici panem monitres, ad te accedit, si baculum, fugiet, ergò.

Probatur 2. eadem pars: Magis agunt bruta animantia propter finem quam insensibilia, sed hæc agunt improprie, in quantum subsunt supremo Dei dominio, & intentioni Authoris naturæ, ergò animantia etiam agent propter finem, saltem propriè & modo imperfecto.

Probatur tertio: Quia, secundum Aristotelem & etiam experientiam, bruta animantia habeant memoriam, sed quæ memoriam habent, unum cum alio conferre possunt, ergò etiam bruta hoc poterunt: ma. patet, quia canis cognoscit suum Dominum & Benefactorem, eique blanditur, inimicum verò & percussorem fugit & allatrat etiam longo elapso tempore ab injuria illata. probatur etiam mi. quia non recordatur aliquis rei alicujus, nisi unum conferendo cum altero, ergò, si habent memoriam, habent vim conferendi; quare subsumo, sed ut aliquid agat propter finem, nihil aliud

requiritur, nisi quòd possit comparare media cum fine. ergò.


Probatur tertio eadem pars

multis experientis: Nam, ut dicit D. Thomas: *Avi colligit paleam, non quia delectat sensum, sed quia utilis est ad nidificandum.* Erinaceus in globum se convolvit rotundum, ut volutando se poma, aliosque fructus aculeis configere & in foveam deportare possit; Araneus textit telas, easque hincinde expandit sese abscondendo in angulo, aut caveo ea, ne à muscis, quibus insidiatur, conspici possit. Apri in bitumine se volutant, ut ingentem crustam super se induant, aut ut arceant frigora, aut se invulnerabiles reddi posse putant. Canes laborantes, herbam vorant, ut sese expurgent: Cervi ad vias pariunt, ut ab aliis animalibus capacibus, vias hominum declinantibus, partus celent, vulnerati, aut veneno hausto dictamnum quarunt &c. Mitto gesticulationes & actiones Simiarum, historiasque de Elephantibus, quæ omnia certè deducunt, animantia habere finem, quare hæc & similia faciunt. Nolo tamen dicere, quòd formaliter ex cognitione finis operentur, sed tantum materialiter, id est, ea secundum materiam faciendo, qua ad finem infervirent.

Quare probatur altera pars

Conclusionis, scilicet, quòd non agant propter finem propriè, tum ex Autoritate Divi Augustini lib. 3. Trinit. cap. 3. ubi ait: *Instrumenta non ideò movere membra sub sarcinâ, quòd aliquid de illo opere cogitarent, sed naturali appetitu sua voluptatibus, & devatione molestia.* Et clarissimè ex D. Bernardo. in Cant. serm. 81. ubi docet: *Propterea, quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur, quia, sicut deliberatione, ita & libertate carent. Sensus aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Neque enim judicium habent, quo se judicent, sive regant, sed ne instrumentum quidem judicii, id est rationem, inde est, quòd non judicantur, quia non judicant, quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? Ratio etiam est, quia per cognitionem illam materialem & sensicivam, supra probatam, non possunt unum cum alio formaliter conferre in ratione finis & mediorum, nec discernere, quodnam sit conveniens propter se, vel propter aliud, ideoque non possunt dici, formaliter agere propter finem. Deinde videtur inconceptibile dicere, quòd formica hæc æstate nata, in Autumno jam habeat virtutem providendi hyemem, ut propter eam congreget grana in cumulum, cum nunquam antecederet viderit, vel experta fuerit hyemem, ergò signum est, quòd non ex fine formaliter cognito hæc agat, sed ex puro naturæ instinctu. Et sic facile solvuntur, quæ ab*

Adversariis congeri possunt contra primam partem, quia hæc posterior eam totaliter limitat.



DISPUTATIO VIII. DE CAUSA INSTRUMENTALI ET EXEMPLARI.

QUÆSTIO I.

De Causa Instrumentali.

I.
Instrumentum variè
sumitur.

Plurima fusè tradunt aliqui de his duabus causis, ego tamen pro fine hujus libri secundi ea brevibus expediám. Itaque Notandum, *Instrumentum* multipliciter accipi posse, primò pro omni causa, quæ essentialitèr dependet ab alia superiori in operando, & hoc sensu quælibet causa creata instrumentum Dei vocari potest, & debet. Secundo sumitur pro eo, quod est pars totius, & cui competit esse principium operationis, & toti, non nisi ratione partis, & sic Philosophus 2. de Anima. t. 16. sumit nomen *Instrumenti* dum ait: *Organum sensuum esse instrumenta.* Verùm in his acceptionibus hic non agitur de instrumento. Quare tertio sumitur pro eo, quod intervit principali agenti ad producendum terminum per se ab eo intentum. Estque triplex: *Supernaturale, naturale & artificiale: Supernaturale* seu morale dicitur illud, quod inferuit agenti supernaturali, ex mera dispositione & ordinatione divina, sic sacramenta dicuntur Instrumenta gratiæ. *Naturale est*, quod naturali agenti famulatur ad aliquod opus naturale producendum, disponendo subiectum virtute propria, non tamen attingendo ipsum immediatè, sic calor est instrumentum ignis ad producendum alium ignem. *Instrumentum artificiale*, quod etiam propriè tale dicitur, à quo etiam nomen Instrumenti derivatum est, illud est, quod intervit principali agenti ad aliud opus artificiale efficiendum, non tantum per virtutem aliquam innatam, sed etiam per aliquod receptum ab extrinseco, sic malleus, serra, &c. dicuntur instrumenta, & interviunt Artifici non tantum per propriam duritiem, gravitatem, &c. sed etiam per actualem motionem agentis. De Instrumento ergò in hoc sensu posterioris acceptionis, prout naturale & artificiale complectitur, Queritur primò: An sit activum, & quomodo? Secundo: Quomodo distinguatur à principali agente? & Tertio, ad quod genus causæ reduci debeat? Ad primum

II.
Instrumentum, quod activum est, non attingit terminum principis agentis.

Dico I. Non omne instrumentum esse activum, illud autem, quod est activum, non potest attingere terminum principis agentis. Ita Doctor, & Scotista communiter contra Thomistas & Recentiores.

Probatur I. p. Calamus est instrumentum scriptorum, sed certum est, quod concurrat ad scribendum ratione figuræ tantum, talis, vel talis quantitatis, absque ulla activitate præter illam, quam habet ad expellendum aërem, aut aliud corpus à loco, per quem transit, ergò. Præterea fistula organica ratione figuræ, ac quantitatis admittit tan-

tum aëris, & non plus, & impedit, quò minus progrediatur alio modo juxta concavitatem suam, nec habet aliam causalitatem, respectu soni causati; & si discurremus per omnia instrumenta artificialia, videbimus nullam activitatem, præter quantitatem & figuram, ergò omne instrumentum non est activum.

Probatur 2. pars: Accidentia omnia sunt causæ instrumentales naturales, verbi gratiæ, calor respectu ignis, &c. sed calor, licet sit activus, non potest tamen attingere terminum principis agentis, ergò instrumenta, quæ activa sunt, non attingunt tamen principis agentis terminum; probatur III. quia nullum accidens, nec in virtute propria, nec in virtute substantiæ potest producere substantiam, ut visum est supra, & probatum, sed terminus ignis est ignis, ergò non potest calor eum attingere.

Dices: Si Instrumenta artificialia non haberent activitatem, non esset ratio, cur certa Instrumenta assumerentur ad causandum hunc potius effectum, quam alium, sed hoc est contra experientiam, ergò. probatur sequela, quod in se nullam activitatem habet, non potest assumi ad aliquem effectum producendum, ergò si non agit, non est ratio, quare unum potius adhibeatur, quam alterum. Respondendo ma. cum sua probatione, Quia, licet aliquid à se non sit activum, potest tamen habere aliquas conditiones, verbi gratiæ, acritatem, duritiem, ratione quarum potest moveri à causa principali ad causandum instrumentali effectum, quatenus scilicet ratione talium accidentium competit ipsi instrumento expellere aliud formalitèr à loco.

Ex his facile deducitur, quomodo distinguatur à principali agente? scilicet, quòd causa instrumentalis non attingat effectum principis causæ, sed tantum aliquas dispositiones: si tamen videtur aliquando attingere, hoc non facit effectivè, sed formalitèr, expellendo aliud à loco modo supra explicato, sic verbi gratiæ, licet ex motu ferræ fiat, ut partes ligni sectæ occupent alium locum, sed tamen hoc est per accidens ad sectionem. Ad certum

Dico 2. Instrumentum reduci debet ad genus causæ efficientis. Probatur: Quia non potest reduci ad genus causæ finalis, ut patet, nec materialis, cum nullum sit subiectum, nec formalis, quia hæc communicat seipsam effectui, Instrumentum minime, nec etiam exemplaris, & præterea nullum aliud est genus, ergò.



QUAESTIO II.

De Causa Exemplari.

Exemplar, secundum Aristotelem 10.

Metaph. cap. 47. t. 32. Est illud, in quo agens vel operans inspicendo agit & operatur. Est autem duplex internum & externum. Externum est illud, quod sibi ante oculos Artifex ponit, verbi gratia, pictor picturam, ad ejus imitationem pingendo imaginem: Internum est illud, quod sibi artifex in mente efformat, ut ad illius similitudinem ad extra aliquid efformet. Hoc praemissio

Dico I. Exemplar Est id, quod respicit causam efficiens, ut ad ejus similitudinem producat effectum. Haec in re est communis, &

Probatur, quod sit bona, quia sufficienter declarat naturam exemplaris, dicitur, quod respicit causam efficiens, seu artificem, dum operatur, in quo convenit cum fine; dicitur, ut ad ejus similitudinem &c. in quo à fine distinguitur. Difficultas unica est, in quo nam consistat ratio exemplaris, an conceptu objectivo? vel an in formali? Primum affirmant Scotista cum Doctore 1. d. 35. quos sequitur Occamus, secundum Thomista cum suo Principe D. Thoma, verum tamen

Dico 2. Exemplar non est conceptus formalis, quem agens habet, sed conceptus objectivus. Ita prima sententia.

Probatur primo: Ex Philosopho 7. Met. t. 26. Secundo ex ratione: Illud est exemplar operis faciendi, quod agens respicit, & intuetur, dum operatur, sed patet ab experientia, quod non respiciat suam cognitionem, sed objectum aliquod aliud, ergo illud objectum, quod etiam vocatur conceptus objectivus, erit exemplar. Confirmatur: Quia pictor sensibiliter respicit ipsum prototypum, non vero suam cognitionem, dum pingit, ergo. Nec obstat Responso Suarii agens posse respicere cognitionem per cognitionem reflexam, & sic operari ad imitationem ipsius: Quia experientia constat, si quis reflectat super se, dum agit exemplariter, quod non producat effectum ad similitudinem cognitionis suae, sed ad similitudinem objecti per cognitionem representati, ergo. Sed principale fundamentum adferendo pro Contra: Sent:

Dices: Si exemplar est conceptus objectivus, vel est eadem res, quae sit ad extra, vel alia distincta? Non primum, quia tunc idem esset exemplar, & ad exemplar factum: nec etiam secundum, quia saepe non habet aliquis aliam rem propositam, quam faciendam, ergo. R. esse rem ut cognitam, nec implicat idem esse exemplar, & ad similitudinem exemplaris factum, sicut non implicat idem esse finem moventem, & terminum productum, ut supra dicebamus, quia objectum ut cognitum & ut futurum potest dirigere in seipsum actionem, ut ad esse reale, & reale, quoniam haec causalitas non est, nisi moralis & metaphorica, quemadmodum etiam de fine E. Amandi Hermann Physica.

dixi supra, ad quae conformiter etiam hic responderi potest. Sed

Dices adhuc, De ratione exemplaris est, dirigere & regulare artificem, sed hoc convenit conceptui formali, ergo. probatur mi. quia cognitio formalis est imago expressa, quae offendit rem & modum artificis, ergo. R. negando mi. ad cujus probationem dico, inde tantum sequi, cognitionem esse exemplar formale, non vero objectivum, quia artifex, dum operatur, non respicit illam, sed ipsum exemplar, ad cujus imitationem pingit.

Dico 3. Exemplar ad causam efficientem reduci debet. Ita Doctor 1. d. 36. q. 6. n. 5. cum suis.

Probatur, id, sine quo efficiens non est causa completa, debet reduci ad efficiens tanquam aliquid ejus, sed sine causa exemplari efficiens artificialiter non est causa completa, ergo. probatur mi. tum, quia Philosophus 7. Met. t. 33. dicit: agentia naturalia producere sibi simile per formam, artificialia per exemplar: tum, quia artifex sine exemplari nihil producere potest. Confirmatur: Agens naturale completur in ratione principii per formam naturalem, ergo agens artificiale debet compleri per exemplar, ergo, sicut agens naturale per formam non est aliud ab efficiente, ita nec agens artificialiter est aliud ab exemplari.

Dices: Ex Confirmatione & veritate Illud, per quod agens naturale completur, est forma, sed artificiale completur per exemplar, ergo exemplar ad formam, seu causam formalem reduci debet. R. dist. ant. Forma, prout habet rationem causae formalis, nego ant. prout determinat agens, verbi gratia, ignem forma ignis ad producendum alium ignem, concedo ant. & similiter distingvo consequens, & nego consequentiam. Unde, sicut forma ignis non reducitur ad causam formalem alterius ignis producti, sic nec exemplar debet reduci; Si tamen aliquis vellet dicere, exemplar esse causam formalem in quantum ad ejus similitudinem aliquid efficitur, excitabit quaestionem de nomine.

Hinc etiam inferitur, actionem causae exemplaris non esse distinctam ab ipsa actione reali efficientis saltem realiter, quidquid sit, utrum formaliter, quia causa efficiens producit effectum exemplariter, modo exemplar maneat objective coram agente regulando, & determinando illud ad producendum talem effectum potius, quam alium, verbi gratia, statuum potius, quam campanam.

Queres: Quenam agentia agant exemplariter? Ante resolutionem notandum, quod exemplar alio nomine vocetur idea, ita ut in Scholis exemplar & idea pro Synonymis usurpentur. In qua suppositione Respondeo &

Dico 4. Deum super omnia benedictum agere idealiter. Ita nostrorum Doctorum Trinitas, Nam imprimis Divus Augustinus, lib. 83. q. 9. 46. ait: Ideam esse exemplar aeternum

V.

VI.

VII.

VIII.

IX.

X.

æternum & incommutabile in mente divina, secundum quod qualibet res à Deo formalis est, antequam formetur: Unde postmodum subdit: Restat, ut omnia ratione sint condita: singula igitur propriis creata sunt rationibus, hæc autem rationes (ideæ) ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris? Non enim extra se quidquam intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constitueret. Similia habet D. Bernardus in tractatu de vita solit. cap. ult. prope finem: Credendum est Deum immutabilis, mutabilia omnia immutabiliter faciens, intelligens & creans omnem intellectum & intelligentem, sapientia faciens omnem sapientem, veritas fixa, stans, indeclinabilis, ex qua vera sunt omnia, quæ vera sunt, in qua sunt æternaliter rationes (ideæ) rerum omnium eventuum temporaliter. Et clarissime probat Subtilis I. d. 37. q. 12. sic: Deus omnia causat, vel causare potest, non irrationabiliter, ergo rationabiliter, igitur habet rationem, secundum quam format, non autem eandem omnium, ergo singula propriis rationibus, non autem rationibus extra se, quia non eget in efficiendo aliquo alio à se, igitur rationibus in mente sua, nihil autem est in mente sua, nisi incommutabile, ergo omne formabile potest formare, secundum rationem propriam sibi æternam in mente sua, nihil autem ponitur in mente sua, nisi ideæ. Ratio pro his desumitur ex superioribus.

Bruta non agunt proprie exemplariter.

Bruta animantia, sicut proprie non agunt propter finem, ita etiam non agunt proprie & perfecte per exemplar, hinc licet firmæ exactè imitentur actiones humanas, quia tamen non discernunt sufficienter media, nec cognoscunt finem formaliter, ideoque non agunt, ob defectum perfectæ cognitionis exemplariter. Insensibilia verò, quamvis effectus sibi similes ex toto proferant: ut flores & arbores simillima folia, nihilominus exemplariter non agunt, defectu præviæ cognitionis, nisi velis dicere, agere improprie, in quantum subfunt ideæ divinæ; à qua omnis illorum actio dependet, non inficiabor, nam sic pariter dixi supra, inanimata agere propter finem, in quantum subfunt intentioni Causæ primæ.

QUÆSTIO III.

De Fortuna, Casu, Fato & Monstro.

I.

Pro complemento hujus libri addendum duxi examen causarum per accidens, idque Laconicè, eò, quòd materia hæc fusio-rem tractationem non exigit; antiquitas tamen circa ista fuere varii Philosophorum errores, quos optime redarguit S. Augustinus 4. de Civitate. cap. 18. quorum enarratione omis- sa, ad solvendam per partes quæstionem procedo &

II. Describitur fortuna.

Dico I. Fortuna nihil aliud est, quam causa per accidens, in iis, quæ ex electione agunt. Ita communis: & explicatur Dicitur causa, quia aliquomodo est principium, à quo provenit effectus fortuitus, qui etiam aliquando fortuna vocatur, sicut apud Aristotelem res producta & acta actio dicitur, translato nomine causæ ad effectum. Dicitur in iis, quæ ex electione agunt, quia non omnis causa per accidens est

fortuna, sed sola causa libera, quæ dicitur fortuna, quando ad actionem ejus intenditur per se aliquem effectum, alius, quem non intendebat, sequitur, aut si intendebatur, non habet necessariam connexionem, sed merè accidentalem cum actione causæ, ut si quis fodiendo terram ad plantandam arborem, aut seminandum granum, inveniat thesaurum, aut si quis intendat lucrari & lucretur.

Dico 2. Casus in strictiore acceptione est causa per accidens eorum, quæ non agunt ex electione, est Philosophi hic. Et patet ex superioribus explicatione, per hoc autem, quod additur eorum, quæ non agunt ex electione, distinguitur sufficienter à fortuna, & talis casus est, si canis quærens domini chyrothecam perditam, vel projectam ut eam reportet, portaret maris- pium auris plenum, vel gallina terram radens, ut granum inveniat, reperit gemmam &c. Ex quo deduco, Casum se habere ad fortunam, veluti aliquid superius, & fortunam posse aliquomodo speciem casus dici.

Dico 3. Fatum est ordo causarum secundarum producentium suos effectus secundum infallibilem providentiam & dispositionem divinam Dei. Hæc est contra Antiquos Philosophos, qui gravissimè in hac materia errarunt, nam aliqui dixerunt, esse astrorum constitutionem, & influxum necessitantem hæc inferiora, alium esse necessarium ordinem causarum secundarum sine dependentia ad Causam Primam, alii esse aliquam causam necessariam & inevitabilem: Hinc Sanctus Augustinus lib. 5. de Civitate. cap. 1. ait: Prostru divina providentia regna constituentur humana. Quæ si propterea à quoquam fato tribuit, quò ipsam Dei voluntatem vel predestinationem fati nomine compellat, sententiam renat, linguam corrigat. & cap. 9. Nos adversus istos sacrilegos ausu atq. impio, & Deum dicimus omnia scire, antequam fiant, & voluntate nos facere, quicquid à nobis non nisi volentibus fieri sentimus & novimus: Omnia verò fato fieri non dicimus, imò nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, ubi solet à loquentibus poni, est in constitutione siderum, quæ quæque conceptus, aut natus est (quoniam res ipsa inanimata asseritur) nihil valere monstramus. Ordinem autem causarum ubi voluntas Dei plurimum potest, negamus, neg. fati vocabulo nuncupamus, non enim abnuere possumus scriptum in litteris sanctis, semel locutus est Deus &c. Quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc incommutabiliter est locutus, sicut novit omnia immutabiliter, quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est. Hic itaq. ratione possemus a fando fatum appellare, nisi hoc nomen jam in alia re soleret intelligi, quò corda hominum nolimus inclinari. Sic quoque D. Bernardus epistola 255. docet: Regna & jura Regnorum tunc sanè sana suis Dominis atq. illis persistunt, si Divinis ordinationibus ac dispositionibus non resistunt. & epist. 279. Comitum Henricum alloquens & à Deo omnia Regna & principatus esse ostendens ait: Ad hoc te confituit Principem super terram Princeps Regum terræ, ut sub eo & pro eo bonos foveas, malos coercas, pauperes defendas, facias judicium injuriam patientibus, si hæc facis, opus Principis facis & spes est, ut Deus tuam dilatare & roborare debeat Principatum.

non, timendum tibi, ne hoc ipsum, quod videris habere honoris & potestatis, auferatur (quod absit) à te. Vide, quomodo dispositioni divinæ Regna subesse akerit, & non ex alicujus fati necessitate, & inevitabili eventu.

Dico 4. *Monstrum est effectus naturalis à reâ solita, dispositione, secundum speciem perfectionem degenerans.* Hæc pariter est communis. Dicitur *Effectus naturalis*, quia monstra tantum reperiuntur, propriè loquendo in naturalibus, quarè effectus artis à regulis suis deficientes, non dicuntur monstra propriè, sed analogicè: dicitur à *reâ solita, dispositione*, quia omne monstrum defleat à lege per naturam constituta; dico particularitèr & signanter, secundum speciem perfectionem, & non secundum speciem simplicitèr, quia existimo, quòd quoque monstrum enseri debeat omne illud, quod etiam in integris regionibus, & provinciis ordinariè evenit, contra plures alios, qui putant pigmeos in illis provinciis, ubi dari dicuntur, & strumatos in Syria, Carinthia, Tirol &c. monstruosos non esse, ex eo, quòd ordinariè id eveniat, nam sicclare docere videtur Divus Augustinus, Lib. 16. de Civit. cap. 8. ubi hæc refert: *Quæritur, utrum ex alio uno homine (Adamo) propagata esse, credendum sit, quædam monstruosa hominum genera, quæ Gentium narrat historia? sicut perhibentur quidam, unum habere oculum in fronte media; quibusdam plantas versas esse post crura. Quibusdam utriusq. sexus esse naturam: & dextram mammam virilem, sinistram muliebrem, vicibus, alternis coeundo & gignere & parere: Alii ora non esse, eosq. per nares tantummodò suscepto, & emisso halitu vivere: Alios staturæ esse cubitales, quos pigmeos à cubito Græci vocant: alibi quinquennes concipere feminas, & citavum vite annum non excedere. Item ferunt, esse gentem, ubi singula crura in pedibus habent, nec popliteum flectunt & mirabiles sunt celeritate, quos Scipionas vocant, quòd per æstum in terra jacentes respici, umbrâ se pedum protegant. Quosdam sine cervis habere oculos in humeris & cetera hominum, vel quasi hominum genera, quæ in maritima platea Carthagini musivo picta sunt ex libris deprompta veluti curiosiores historia. Quid dicam de Cynocephalis, quorum canina capita atq. ipse latratu magis bellas, quam homines profertur. Qualis autem ratio reddatur de monstris apud nos hominum partibus, talis de quibusdam monstris gentibus reddi potest. Hæc*

Augustinus: Ego autem ex posterioribus verbis sic subsumo: sed monstris hominum partibus, quòd monstra sint, redditur ratio, quia à solita & consueta lege naturæ deviant & degenerant: hæc autem ratio etiam reddi potest de integris nationibus; ergò dicendum pariter monstra esse: probatur min. quia quemadmodum unus homo se habet ad aliquam totam communitatem & totum regnum, ita se habet una natio ad totum universum, sed si unus homo in aliquo regno, vel provincia à solita debitaq. lege naturæ degeneret, dicitur monstrum; ergò etiam si aliqua integra natio degeneret secundum speciem humanæ perfectionem debitam, monstrata dici debet.

Multa sunt causæ, cur monstra generentur: Primò etenim hoc evenit vel ex defectu, vel ex abundantia materiæ: Secundò ex indispotione primarum qualitatum: Tertio ex indispotione secundarum, in qua fetus continetur dum est in utero: Quarto ex debilitate virtutis productricis: Quintò ex influxu astrorum & temperamento regionum: Sextò ex livida & maligna aliqua imaginatione, scribit enim Avicenna Gallinam incubantem ovis, aspectu perterritam edidisse pullos milvino capite: Et ego ipse hominem vidi sex digitalem, ita, ut pollex dexter formam forcipum cancri ex toto exprimeret, cujus defectus, mater, quam pariter novi, ansam præbuit ex contemplatione cujusdam cancri, rarioris magnitudinis, & illam fortem imaginationem, tenacemque specierum impressionem causam fuisse, tum ipsa femina sæpè confessa est, tum inde liquet, quòd si quandoque in aliis digitus superfluat aliquis, quòd non exprimat præfatam figuram, sed habeat se potius per modum ramusculi ex alio digito prominentis, ut etiam vidi, in Contræanea quadam.

VI.
Causæ ob quas monstra generantur.

Dico 5. *Monstrum non intenditur à natura primario, sed secundario, quatenus cum non possit assequi finem perfectum; ipsum imperfectum querit producere, Deus tamen ea primario quandoq. intendere potest propter multa emolumenta, quæ tum ad correctionem hominum, tum ad pulchritudinis exhibitionem, tum ob alios fines, secundum ordinatissimam suam præscientiam.*

VII.
Monstrum non intenditur à natura.

Semper tamen ad majorem Gloriam in quam cedat etiam hoc opus, & hic labor Libri secundi Phycorum.

